

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES
SMITHSONIAN INSTITUTION WASHINGTON DC

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES

moll
f QL
425
I8 P76
1791
T. 2
MOLL
165454

TESTACEA
VTRIVSQVE SICILIAE
EORVMQVE
HISTORIA ET ANATOME
TABVLIS AENEIS ILLVSTRATA

A

IOSEPHO XAVERIO POLI
SERENISSIMI
REGII SICILIARVM PRINCIPIS
INSTITVTORE
SOCIETATIS REGIAE LONDINENSIS, INSTITVTI BONONIENSIS,
REGIAE SCIENTIARVM ACADEMIAE TAVRINENSIS,
SENENSIS, AC NEAPOLITANAE
SOCIO.

TOMVS SECVNDVS.

PARMAE
EX REGIO TYPOGRAPHEIO
MDCCXCV.

Me scopuli virides, et odora suavibus herbis
Litora, purpureoque ardentes murice Conchae
Invitant . . . .
Ipsae et Olympiades, pulchraeque Dicarchides, et quae
Alta Pithecusae tenuere cacumina, Divae,
Iam celerant monstrare viam, vitreisque sub undis
Lucida crystallo, et pendentia pumice tecta
Pandere . . . .

Giannettasius Halieut. lib. VIII.

PARERGI INITIALIS
HVIVS SECVNDI ORDINIS
EXPLICATIO.

Parergon initiale, paginae primae hujus Ordinis praefixum, jucundissimam repraesentat oram maritimam Urbis Neapolis, quae ab horreis publicis, prope Magdalenae pontem sitis, ad Pausilypum usque exporrigitur. In hoc maris tractu uberrima jugiter colligitur Conchyliorum omnigenorum copia. Alma Urbs praedicta theatri ingentis instar, a maris ora usque ad Castrum Sant'Elmo *dictum, gradatim, atque magnifice attolli conspicitur; hinc Camaldulensium colle, atque Coenobio, inde vero amoenissimis Pausilypi collibus, ac Promontorio conclusa:* Hominum, Divumque voluptas.

MONITUM AD LECTORES.

Etsi in Praefatione hujus Operis dictum sit, Opus universum in duos Tomos redigi posse, tamen Tomum primum, ne mole sua nimis praegravaret, in binos divisimus; ideoque totum Opus in tres Tomos dispertire oportuit.



ORDO SECVNDVS
COMPLECTENS TESTACEA BIVALVIA.

Ital. *Conchiglie bivalvi*. Gall. *Coquilles bivalves*. Germ. Zweyklappige Konchylien, oder Muſcheln. Belg. *Tvveeschaalige schelpen*. Angl. *Bivalve shells*. Dan. Toſkallende.

Conchas bivalves quatuordecim diversa Genera in se complecti, variis pariter Molluscorum Generibus recludendis destinata, jam alibi monuimus (1). Horum omnium pelagus Regionem hanc nostram circumfluens est undique locupletissimum. Nos igitur instituti nostri rationem prosequentes, utrorumque descriptionem enucleate hic tradere adgrediemur.

GENVS I.

MYA.

Ital. *Mia*. Gall. *Telline béante*. Germ. Die Klafmuſchel. Belg. *Gaaper*. Angl. *Gaper*.
Dan. Sandmigen.

Generis characteres. Testa bivalvis, hians altera extremitate: cardo dente solido, crasso, patulo, vacuo.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1112.

---

(1) *Introduct.* Part. III, cap. I, pag. 80.

Division of Mollusks
Sectional Library

Generis descriptio. Universae conchae bivalves, quae altera extremitate hiant, et quae dente crasso ad cardinem muniuntur in valvam oppositam minus inserto, ad Myae Genus referuntur. Earum pleraeque margaritaceam indolem gerunt, atque uniones in cavitate gignunt; externe autem cortice viridescenti, vel fulvo conteguntur, plerumque glabro, interdum striato, vel leviter aculeato. Degunt fere omnes in stagnis, lacubus, ac fluviorum ripis, sub limo, vel arena; nonnisi paucae pelagus inhabitare consuescunt.

Molluscum eas incolens ad Ascidiam retulit Linnaeus (1). At ne quae hac super re jam disputavimus (2), hic repetere videamur, monebimus modo Molluscum hujusmodi multiplicis esse naturae. Quod in Mya Arenaria observavit Basterus (3), ad Callistae speciem juxta systema nostrum zoologicum referendum esse censemus. Illud vero, quod Myam Pictorum incolere deprehendimus, ad Limnaeae Genus a nobis constitutum pertinet; cujus characteres hi sunt:

Trachea unica foraminiformis.
Pallii summitates multipliciter cirratae.
Branchiae semiconjunctae, patentes.
Pes lanceolatus (4).

Tab. IX. Fig. 8. Inspice Fig. 8 Tab. IX.

Limnaeam denominavimus a graeca voce λιμνη, *limne*, *palus*, quod paludes atque stagna, ut jam dictum est, earum pleraeque inhabitare consuescunt.

Quantum investigare potuimus, unicam Myae speciem in hac nostra Regione deprehendere licuit.

MYA PICTORVM.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1112.

Ital. *Mia de' Pittori*. Neapol. *Lattero di fiume*. Gall. *Moule des Peintres*.

Germ. Die Mahlermuſchel. Belg. *Verfhouder*.

Angl. *The Painters shell*; *The fresh water pearl Muscle*; *The long thick horse Muscle*.

Bonann. *Recr.* Class. II, Fig. 41.
Lister *Hist. Conch.* Tab. CXLVI, Fig. 1.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. VII, Fig. E.
Pennant *Brit. Zool.* Tab. XLIII, Fig. 17.

---

(1) *Syst. Nat.* pag. 1112.

(2) In descriptione *Generis III Testaceorum multivalvium*.

(3) *Opusc. subsec.* tom. II, lib. II, pag. 69. (4) Vide Cap. II *Introduct.* Part. II, pag. 31.

Testae characteres. Testa ovata, inaequilatera, antice elongata, nitida, viridescens, striis transversis remotis distincta; cardinis dente primario utrinque exerto, crenulato; laterali elongato, in altera valva gemino. *Tab. IX. Fig. 6.*

Testae descriptio. Testa ovata, convexiuscula, inaequilatera, antice elongata, paullo attenuata; in latere postico brevior, atque rotundata; undique glabra, striis transversis concentricis, remotis, ab annotinis accessionibus derivatis, distincta. Umbones tumidiusculi, plerumque decorticati, apicibus contiguis: margo circumundique acutus; externe membrana fusca, crispata, tenui, a pallio Mollusci procedente, obvelatus. Concham universam obtegit epiderma firmum, valde nitidum, porraceo ut plurimum, interdum viridescenti colore splendens. Tota cavitas argenteo splendore refulget, purpureis coruscationibus saepe variegato. Dens cardinis primarius solidus, exertus, crenulatus, triangularis; unus in singulis valvis, alter alteri adjacens: laterales elongati secus marginem anticum, laminiformes; in sinistra valva unicus, in duplicem alterius insertus. Cardinis extremitates obtinent scrobiculi, tendinum vestigia perhibentes, quibus Molluscum valvis adnascitur.

Ad cardinis partes patefaciendas, ambas valvas in Fig. 7 omnino patentes delineavimus. *a*, *a* sunt dentes primarii; *b*, *c*, laterales, quorum dexter *c* geminus est. *d*, *d*, *e*, *e*, scrobiculos, sive vestigia ostendunt, quibus musculorum adductorum capita valvis adnasci declaravimus: ab *m* ad *n* producitur ligamentum, utramque valvam simul connectens. *Fig. 7.*

Hujusmodi concham inter Myas recensuit Linnaeus, etsi ejus valvae nullibi hiare videantur.

Concha isthaec acri lixivio percita, non solum epidermide, sed etiam cortice quodam testaceo proxime illi subjecto, spoliatur; tumque margaritaceo nitore undique splendescere cernitur.

Variat ob testam crassiorem, latioremque, margine antico sinuato, inferius arcuato; et ob colorem epidermidis saturatiorem. Inspice Fig. 5. *Fig. 5.*

Historia. Myae Pictorum amnes, lacus, paludesque frequentare consuescunt, sub caenoso solo, vel in arenosis vadis delitescentes. Vulturni ripae, regii canales ad Casertam, praecipue vero paludes prope Capuam, *Mazzoni* vulgo nuncupatae, iis abundare conspiciuntur. Hinc mense Februario, atque Martio Neapolim asportantur, ubi Mollusca ipsas incolentia, apud illos, quibus res est angusta domi, pro cibo usuveniunt. Gratam illis escam ipsa praebere comperimus, vel igni candenti imposita simul cum testa, leviterque tosta, vel e conchis educta, et oleo, petroselino, mica panis, atque pipere parce condita, et super igne concocta.

Mensibus nuper memoratis lacteo humore, atque ovis ultra fidem turgescunt; quae in branchiis novissime fota, vivam prolem enituntur. Eorum abdomine, atque ovario tunc temporis profunde sauciato, ova e vulnere profluentia jucundissimum spectaculum saepe nobis exhibuerunt. Ea etenim super vitream laminam excepta, complures conchas exilissimas in utero matris jam perfectas, microscopii adminiculo inter se continere conspiciebantur; quae non solum identidem subsilire, sed modo dehiscere, modo vivaciter claudi saepenumero visae sunt. Quod spectaculum per mediam fere horam sine ulla intermissione perduravit, clarissimo Equite Viventio, aliisque, summa cum voluptate ipsum intuentibus. *Tab. IX.* Conchas hasce tum pronas tum supinas ad microscopium delineatas cernes in *Fig. 14.* Fig. 14. Uniones, quas nonnulli Ostracologi in iis invenisse tradunt, in ingenti ipsarum numero, quas perquisivimus, nunquam deprehendere datum fuit.

Mya haec *Pictorum* denominationem ex eo accepit, quod Pictoribus communiter usuveniat pro pigmentis omnigenis, etiam aureis, et argenteis in aqua dilutis, servandis.

Mollusci characteres. Limnaea (Fusca) pallii summitate fusca, cirris crassis, *Fig. 8.* labiis ovatis, branchiarum striis elegantibus. Inspice Fig. 8 Tab. IX.

Totum animal ex flavo albescit, summo pallio excepto, fusco colore offuso, unde speciei denominationem derivavimus.

MOLLVSCI ANATOME.

Fig. 8. Molluscum Myae Pictorum in Fig. 8 Tab. IX ea ratione explicatum ostenditur, qua valvis diductis conchae adhuc adnatum adparet. Fit autem hujusmodi adhaesio tum musculo orbiculari pallii *aabb*, ejusque velabro *dd*, tum musculis valvarum adductoribus, atque abdominalibus, perinde ac in ceteris Molluscis bivalvibus. Cunctorum formam, atque situm infra demonstrabimus. Adductorum valvarum inferiorem tantum ad *cc* cernere licet. Ambo pallii lobi musculo orbiculari, et membrana tenuissima *dd* conflantur, vasculis exilissimis usquequaque referta. Hanc in aliquot Molluscis duplici lamella compactam esse deprehendimus; idque in ceteris simul obtinere verosimillimum est. Pallii limbo adnascitur circumcirca membrana fusca, exilissima *ff*, valida, contractilis, super testae marginem revoluta, quem penitus obvelat. Summam pallii oram fusco colore infectam, cirrorum series confertissima *m*, *m*, utrinque exornat. Cirros hujusmodi pervios esse, ac per ductus respirationi addictos in branchias influere, aliorum similium Molluscorum analogia strenue suadet; maxime quia regio ista pallii ea ra-

tione interdum disponitur ad nutum animantis, ut alteram tracheam mentiri videatur, cujus fortasse tunc temporis fungitur ministerio.

Pallii lobi branchias *h*, *h*, complectuntur in quatuor lobos distributas, qui abdomen A in primis secus latera utrinque cingentes, ultra ipsum ad *o* simul coalescunt limbo suo interiori. Eorum fabricam alibi tradidimus [1]: hic autem monere oportet illam in nullo alio Mollusco adeo perspicuam esse, et facile investigandam. Quo id patefieret, Limnaeam, de qua agimus, in Fig. 10 paullo amplificatam dedimus. Loborum membranae *x*, *x*, haud aegre a sociis divelli queunt ad vasa sanguifera *i*, *i*, eorumque propagines pectinatas palam faciendas. Membranae ipsae deinceps ea ratione disjunctae, ac super laminam crystallinam sollerter extensae, facillime microscopio perlustrari possunt; tum enim fibris undulatis transversis, ab aliis in longum decussatis, telae instar contextae adparent, ut ad *aa* in Fig. 17. Vasorum branchialium partem propaginibus suis instructam ad *bb* cernere licet. Fibras membranarum longitudinales in membrana inferiori *cc* lacteo humore turgidas praegnationis tempore deprehendimus, perinde ac tunicas vasorum branchialium, atque pallii. Loculos branchiales ovis completos, ut alibi innuimus, ad *e*, *e* (Fig. 18) delineatos conspicies, membrana *f* inter utrosque interposita. Pallium adauctum, branchiarumque partem, in Fig. 16 a parte dorsi oculis subjecimus, ut hujusmodi loculi 1, 1; 2, 2, 3, 3, 4, 4, 5, 5, etc. paterent aliquantum dilatati: *r*, *r*, *s*, *s*, *t*, *t*, etc. septa exprimunt membranacea, quibus alii ab aliis discriminantur; eorumque unum, vel alterum ovis onustum ad *m*, *n* conspicere juvabit. Mirum sane nobis semper visum est, in centenis hujusmodi Molluscis a nobis perlustratis, lobos tantum branchiarum exteriores ovis turgidos invenisse, interiores autem jugiter inanes.

Tab. IX. Fig. 8. — *Fig. 10.* — *Fig. 17.* — *Fig. 18.* — *Fig. 16.*

Ova jam enixa decidunt utrinque in sinum longitudinalem a pallii membrana confectum, quam ad *a* tantum intemeratam reliquimus; unde postremo per sinus ejusdem ostium *y*, vel *z* eliminantur. In singulis loculis ovorum numerus est ultra fidem immanis; adeo ut branchiarum lobi iis completi, crassitiem unius lineae interdum attingant. Subrotundam formam ipsa praeseferunt, putamineque membranaceo muniuntur. Hoc in primis humore albido crassiusculo repletum deprehenditur, in quo microscopii adminiculo immensus innatare videtur corpusculorum ovatorum numerus niveo candore coruscantium, extraque modum exilium. Id porro in cunctis Molluscis obtinere deteximus [2]. At in ovis ad

Fig. 16.

(1) *Introduct.* Part. II, cap. III, pag. 37, et in *Anatome Hypogaeae Verrucosae*.

(2) *Introduct.* Part. II, cap. IV, pag. 49.

Tab. IX. maturitatem accedentibus, nucleus veluti opacus ad eorum centrum conspicitur, *Fig.* 13. conchulae speciem quodammodo praeseferens, sicuti ostendit Fig. 13.

Fig. 8. Abdomen A subtetragonum, in pedem *s* lanceolatum desinens, praegnationis tempore ovis turget, et ovarii propagines elegantissimas ab ovis distentas, per ejus cutem translucere sinit. Compingitur illud musculis multiplicibus, quos *Fig.* 2. in Fig. 2 simul connexos cernere licet, quae abdomen in longum dissectum exhibet omnibus visceribus exemtis. Inibi *bb*, *dd*, sunt musculi valvarum adductores; *f,f*; *g,g*; *n,n*, recti abdominales; *oo* abdominis transversi, sive funiculares, qui ab altero ad alterum abdominis latus per series multiplices producti, iisque strenue adnati, cuncta viscera, atque vasa in abdomine reclusa, veluti totidem vinculis revinciunt, ac in situ naturali perquam valide firmant. Eorumdem seriem integram in medio amputatam, ad *rs*, *rs*, utrinque exhibuimus.

Fig. 8., 10. Ad basim abdominis hinc inde viscus atrum *n* visitur, ad musculum adductorem superiorem se se exporrigens. Microscopio perspectum, fibris tenuissimis, atque mollissimis instructum esse videtur; at ejus fabricam nullo pacto investigare potuimus. Erunt fortasse, qui lienem ipsum dicere audebunt, cujus habitum quodammodo praeseferre videtur. In plerisque Molluscis hujus Ordinis ipsum penitus deficere deprehendimus. Tunica tendinea, anticam ejus partem obducens, *Fig.* 15. duplici rima *i,i*, quam microscopio adauctam in Fig. 15 seorsim delineavimus, utrinque insignita cernitur. Harum rimarum usum, perinde ac ipsius visceris, omnino ignoramus.

Fig. 8. Imum abdomen obtinet os *x*, labiis quatuor *e,e* etc. ovatis, pendulis, atque in altera pagina striatis, insignitum. Excipit ipsum gula, atque ventriculus, quos *Fig.* 4. in Fig. 4 in longum dissectos expressimus ad *a*. Gula proxime incumbit musculo adductori inferiori *cc*. Stilum crystallinum, ac ventriculum posteriorem, cunctis fere hujusmodi animantibus communes, omnino deficere invenimus. Pylorus *s* ventriculi fundum tenens, influit in intestinum latissimum, infundibuliforme *e*, quod sursum pergens ad basim pedis, ac simplici flexu *mno* contortum, mox extra abdomen ad *b* praetergressum, thoracem attingit; ubi rectum intestinum *Fig.* 10. *by* cordis cavitatem praetervectum, desinit in tracheam, sicuti ad *v* in Fig. 10 delineatum adparet.

Ventriculus, et maxima intestinorum pars sub hepate delitescunt; cujus fabricam, perinde ac in ceteris Molluscis, folliculorum acervis confertissimis coagmentatam invenimus, bile flavescente turgidis. Folliculi isti membranacei teretem formam gerunt apicibus rotundatis, eorumque parvam congeriem microsco-*Fig.* 1. pio adauctam prodit Fig. 1.

Animantem pronum pallio explicato, pedeque exerto, ostendit Fig. 9. Ambos musculos valvarum adductores ad *yy*, *zz*, cernere est; rectorum abdominalium tendines ad *a*, *a*; *c*, *c*; *e*, *e*. Vestigia sinuata *bb*, *dd*, bases branchiarum produnt, opportuno tempore lacteo humore luxuriantes. Ad *m* hepar, atque ventriculus reconduntur, ovarii propaginibus obvoluti. Proxime imminet thorax, respondens summo abdomini, a quo dirimitur tum musculis abdominalibus transversis, tum etiam aponevrosi firmissima a musculis rectis emergente. Pericardio amputato, venit in conspectum cor *n*, uniloculare, ovatum, musculosum, auriculis trigonis *i*, *i*, hinc inde communitum. Per ejus cavitatem, ut supra dictum est, rectum intestinum praetergreditur, desinens pone musculum adductorem, quemadmodum ad *v* in Fig. 10 exaratum cernitur. *Tab. IX. Fig. 9. Fig. 10.*

Hydrargyrum in cordis cavitatem injectum, in utramque arteriam, ascendentem scilicet, et descendentem influens, circulationis vias extemplo patefecit. Arteria ascendens *a* a recto intestino recedens, in plures ramos dispertitur, pallio praesertim, atque branchiis distributos: descendens *o* propagines in primis *c*, *e*, ventriculo tribuit: inde plures aliae *b*, *r*, *s*, pergunt ad hepar, quae in surculos varios diremtae, universam illius substantiam permeare conspiciuntur; mox pone musculum adductorem inferiorem *i* versus anticam partem reflexa, in abdomen immittitur, ubi surculi complures e truncis *x*, *y*, *z*, emergentes, cunctis abdominis partibus sanguinem ministrare cernuntur. Surculos hujusmodi in Figura omisimus, quia ipsorum progressum numquam adcurate prosequi datum fuit. *Fig. 11.*

Pari artificio venas branchiales *ii*, *ss*, in cordis auriculas *b*, *b*, influentes investigare licuit. Abeunt ipsae hinc inde in ramos pectinatim distributos, ut in ceteris Molluscis hujus Ordinis. In hac Figura extremitates amputatas vides, ramosque alteros omissos ad perspicuitatem servandam. Hydrargyrum in ipsas injectum, extemplo influit in auriculas, indeque in cor per ostia *t*, *t*; a corde vero numquam influit in auriculas, musculorum lacertis fortasse valvarum ministerio inibi fungentibus. Totam hanc Figuram amplificatam dedimus, ut in corde in longum discisso, musculorum lacerti multifariam implexi conspicerentur; ad quos patefaciendos rectum intestinum *mn* amputavimus, partemque *m* sursum revolvimus. Tendineos plexus, quibus tenuissima auricularum compages roboratur, circum *b*, *b*, expressos conspicies. *Fig. 12.*

Musculo adductori superiori imminet cisterna lactea *a*, in quam influunt vasa lactifera radiatim ad ipsam concurrentia, quorum bina 1, 1, secus vasa branchialia excurrunt; totidem alia 2, 2, propaginibus suis multiplicibus musculum adductorem, regionemque pallii superiorem petunt, ut ad *g*, *g*, cernere licet: in- *Fig. 16.*

fima denique 3, 3, secus atri visceris *n* faciem anteriorem prolata, labiorumque radices ferme attingentia, propaginibus suis *z*, *z* inferiorem pallii regionem eleganter exornare cernuntur.

Perjucundum sane nobis est commemorare hunc animantem viam nobis in primis suppeditasse, qua in vasa lymphatica, quâ late patent, hydrargyrum in-
Tab. IX. jiceremus; eaque ideo e nervorum ordine expungeremus, ut antea suspicari con-
Fig. 10. suevimus. Tum simul detegere sors tulit hydrargyrum in surculos injectum 2, 2
Fig. 3. (quos in Fig. 3, proni animantis partem summam perhibente, lineis punctatis *h*, *h*, expressimus), per ipsos retrorsum reflexos *i*, *i*, ac secus musculum orbicularem excurrentes, in saccum teretem *s* transverse rugosum, atque erucae speciem referentem, descendisse; mox illo oppleto, per canales laterales *y*, *y*, in alios sacculos *x*, *x*, hinc inde locatos in primis pertransisse; ac postremo in loculos fere sphoericos *z*, *z*. Cuncta hujusmodi receptacula cordi, atque auriculis ea ratione subjacent, ut ad illos patefaciendos et pericardium *rr* in longum rescindere, et cor ipsum *n* una cum auriculis (aorta ascendenti *o* mordicus amputata) deorsum reclinare opus fuerit. Quaenam autem sit hujusmodi oeconomiae ratio disputare non est animus.

Fabricam Limnaeae Fuscae hactenus recensitam nemo umquam cumulate perquisivit. Tentamina illustris Mery (1) super Mollusco Mytili Cygnei, quod cum Limnaea Fusca omnino convenire deprehendimus, illius anatomen minus absolvunt; nonnullasque sui observationes a Naturae veritate penitus abhorrere suo loco demonstrabimus. Incola Myae Arenariae a Bastero perlustrata (2), ad Callistae Genus refertur; ejusque observationes exteriorem tantum animantis formam leviter attingunt.

GENVS II.

SOLEN.

Ital. *Solene*. Gall. *Manche de Couteau ; Coutelier*. Germ. Die Meſſerſcheide.
Belg. *Scheede*. Angl. *Sheath*; *Razor Shell*. Dan. Longſkiälet.

Generis characteres. Testa bivalvis, oblonga, utroque latere hians. Cardo: dens subulatus, reflexus, saepe duplex, non insertus testae oppositae; margo lateralis obsoletior.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1113.

---

(1) *Mémoir. de l'Acad. des Scienc. A. 1710.* (2) *Opusc. subsec.* t. II, lib. II, pag. 69.

Generis descriptio. Egregius Linnaeus, priscorum vestigiis insistens, Solenum Generi adscripsit conchas omnes bivalves, atque oblongas, quae valvis aequalibus praeditae hinc inde diductis, utrinque hiare videntur. Earum aliae dente simplici, aliae vero duplici ad cardinem instruuntur: sunt etiam quae iis omnino carent. Hujusmodi cardo, atque ligamentum ei proxime adjacens, plerumque lateris postici extremitatem, raro conchae medium tenent. Valvae sunt plerumque tenues, laevesque, marginibus acutis, atque epidermate tenuissimo obductae. Σοληνες, *Solenes*, Αυλοι, *Auli*, Δονακες, *Donaces*, Ονυχες, *Onyches*, atque Δακτυλοι, *Dactyli* a Graecis dicuntur hujusmodi conchae, referente Plinio [1], atque Athenaeo; *Solenes* nimirum, quod fistulae, sive canali; *Auli*, quod tibiae excavatae quodammodo adsimilentur; *Donaces* ob formam arundinis, quam praeseferunt, secus amnes luxuriantis; *Onyches* demum, et *Dactyli*, quod unguibus, ac digitis humanis tum colore, tum extremitatum forma quadantenus convenire videantur.

Solenum Molluscum, ad Ascidiam a Linnaeo perperam relatum, Hypogaeae speciem constituit, cujus characteres tum Cap. II Introductionis, pag. 29, tum in Pholadis descriptione, opportune tradidimus.

Cuncti Solenes ubique terrarum in locis pelagi arenosis abunde proveniunt, in latebris alte delitescentes, ut in peculiari ipsorum historia fuse exponemus.

Varias ipsorum species in mari hujus nostrae Regionis ubique obvias, more nostro hic declarare suscipiemus.

SOLEN SILIQVA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1113.

Ital. *Cannolicchio; Pesce Cannella.* Neapol. *Cannolicchio.* Venet. *Cappa longa.*

Gall. *Manche de Couteau; Coutelier.* Germ. Die Rinne. Belg. *Orgelpypen.*

Angl. *Pod; Spout fish; Razor fish.*

Bonann. *Recr.* Class. II, Fig. 57.
List. *Hist. Conch.* Tab. CCCCIX, Fig. 255.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. XCV, Fig. C.
Planc. *De Conch.* Tab. III, Fig. 6.
Pennant *Brit. Zool.* Tab. XLV, Fig. 20.
Da Costa *Brit. Conchol.* Tab. XVII, Fig. 5.

---

(1) *Hist. Nat.* lib. XXXII, cap. 11.

Tab. X. Fig. 11. *Testae characteres*. Testa elongata, linearis, recta, glabra, convexiuscula, extremitatibus rotundatis, summa acuta, ima crassiuscula; cardine altero dente duplici.

Testae descriptio. Concha tenuis, diaphana, valde elongata, parum convexa, aequivalvis, subtetragona, marginibus oppositis parallelis, acutis, scindentibus, praeter imum ceteris crassiorem. Referunt valvae arundinis culmen in longum discissum, cujus altera pars adeo alteri incumbat, ut hiatus ellipticus utrinque efficiatur. Earum singulae glabrae, nitidaeque, annotinas accretiones plerumque produnt satis distinctas. Utraque maculis inaequalibus, lividis, interdum etiam purpureis, vel fuscis, cardinem versus gradatim atque oblique secus diagonalem decrescentibus, transversim distinguitur, reliqua disci parte subflava, lineis in longum exornata. Epiderma exile, ac veluti vitreum illas obducit; quod circumundique introrsum reflexum, Mollusci pallio coalescit. Ligamentum fuscum cardini imminere conspicitur, qui marginem interiorem ferme attingens, duplici denticulo componitur acuto, inflexo, e dextera valva prominente; in altera vero simplici, laminiformi, in illum inserto. Cuncti autem veluti ex sui basi versus anticam conchae partem per aliquot lineas producti, eique adnati, in apicem rotundatum desinunt. Concha nonnisi raro latius patere deprehenditur
Fig. 11. quam in Fig. 11.

Fig. 7. Fig. 7 Tab. X imam partem ostendit valvarum patentium A, B, quas transversim rescidimus. *a b c d* est epiderma prominens e valvis circumundique; *e e* ligamentum, quo valvae simul connectuntur; *o o* denique denticuli cardinales, ad *x x* basi sua producti.

Solenem hunc, quem *Aulon, Donacem*, atque *Dactylum* dixit Plinius (1), marem simul nuncupavit, quod ab altera Solenis specie minori, atque graciliori, quam suo loco recensebimus, diversum esse deprehenderit.

Historia. Ad Solenum mores adcurate dignoscendos, maris plagas illorum divites, simul cum conchytis iterum iterumque perquisivimus. Hac igitur ratione didicimus Solenes Siliquas ad perpendiculum erectos, tracheisque sursum versis, alte in arena delitescere. Foramen oblongum, exiguum, trium circiter linearum, tracheis e latebra exerendis addictum, Solenem inibi hospitantem prodit; quod ut clarius in conspectum veniat, conchyta maris superficiem oleo aspergere consuescit, cujus adminiculo ultra fidem luci perviae protinus aquae efficiuntur. Quare conchyta sinistra manu baculo innixus, illam arenae plagam pernici

(1) *Hist. Nat.* Lib. XXXII, Cap. XI.

motu, ac tali dexteritate fodit dextero pede, ut momento ferme temporis ab unius, vel duorum pedum altitudine Solenem e latebra educat. Excipitur ipse inter pedis pollicem, digitumque contiguum, at non semper impune; licet enim pedis illius digiti universi linteis cingulis data opera sint circumvoluti, tantus est tamen Solenis nisus ne inde extrudatur, tantaque simul marginis valvarum acuties, ut saepenumero acre vulnus illis infligatur.

Aquarum altitudine ultra quinque, vel sex pedes adsurgente, aliam piscandi rationem prosequi oportet. Tum enim piscatores in aquam submergantur necesse est, ubi apertis oculis natantes proxime ad maris fundum, latebras petunt, quas memorata foramina produnt; easque manibus effodientes, Solenes arripiunt. Haud raro autem evenire consuescit Solenes istos testa sua a conchytis jam exceptos, at nondum e suis latebris penitus eductos, pede ad sphoeroidis formam *Tab. X* redacto (quem in Fig. 14 Tab. X delineatum cernes), tali nisu, tantaque vi con- *Fig.* 14. chytis illis obsistere, ut nonnisi pede disrupto inde extrudantur; qui interea licet e Mollusci corpore omnino avulsus, et terebrae formam accipere, et altius in arena se se recondere valet. Insuper a conchytis aliquot didicimus, quibusdam ex ipsis, Solenes reluctantes e latebris suis obstinato animo educere connisis, spiritum defecisse, diemque propterea obiisse supremum.

In locis, ubi aquae maris, aestus vi a litore recedentes, arenam omnino detectam relinquunt, alia est insuper Solenes e latebra eliciendi ratio. Admodum exigui salis in latebrae ostium supra commemoratum injicitur; quod aqua dissolutum, ac Solenis tracheas attingens, illum e crypta, ubi alte reconditur, brevi temporis intervallo sursum subsilire cogit, dimidiumque circiter conchae extra ostium exporrigere; nihil enim est illi sale infensius. Tunc itaque conchyta, dexteritate, qua pollet, ipsum manu arripere, atque e latebra elicere potest. Re vero ob conchytae imperitiam incassum gesta; proindeque Solene manu contrectato, minus autem extruso; profecto actum est; siquidem nullo pacto illum resilire coget, licet sale rursus utatur. Hujusmodi piscandi rationem fuse exposuit Réaumurius [1], qui adcuratam Solenis hujus historiam concinnavit.

Jucundum sane nobis visum est Solenes contemplari post eorum piscationem in mare iterum dejectos. Hi siquidem ut maris fundum attingunt, pedem e concha exerentes, illique scalpri, vel terebrae formam tribuentes, in Fig. 13 Tab. X e *Fig.* 13. natura delineatam, celeritate ferme incredibili, summoque artificio, arenam terebrare videntur, atque in ejus gremio alte recondi. Quos quidem motus etiam in

---

(1) *Mémoir. de l'Acad. A. 1712.*

vivario nostro illos praestitisse saepenumero observavimus. Interdum ab aqua educti, et concha inter digitos compressa, pes extemplo ab illa prodiens, varias formas accipere conspicitur.

Ex aqua educti, atque in fasces simul collecti, vinculoque perstricti, per aliquot dies adhuc vivi apud nos servari solent.

Solenes vere ineunte ovis luxuriari videntur. Mense igitur Martio e suis latebris exeuntes, et hac illac per mare vagantes, ovorum acervos, tenui alboque glutine irretitos, ejiciunt, *lactis* nomine a conchytis indigitatos; qui arena commixti *Tab. XI.* brevi fetus excludunt; iique illam pervadunt. Unius mensis intervallo ad magni- *Fig. 12.* tudinem perveniunt, quam perhibet Fig. 12 Tab. XI: duobus vero, vel tribus men- *Fig. 13.* sibus elapsis adeo adolescunt, ut magnitudinem in Fig. 13 expressam prorsus aequare deprehendantur.

Solenes hosce priscis etiam in deliciis fuisse tradit Athenaeus (1); sic enim apud ipsum cecinit Sophron:

Μακραι κογχαι Σωληνες τουτιγα
Γλυκυκρεων κογχυλιον, χηραν γυναικων λιγχνευμα.

Oblongae conchae Solenes, et carne jucunda
Conchylium, viduarum mulierum cupediae.

Apud nos frequentissime in mensis usurpantur. Nonnulli sunt, qui omni praeparatione posthabita, illos adhuc vivos, ac crudos comedere malunt. Alii vel juscula ex iis parant, vel mica panis, oleo, pipere, et mali citrei succo conditos, et super igne tostos edunt. Quae quidem praeparatio licet eos reddat longe sapidiores, coriaceos tamen quodammodo efficit, atque concoctu difficiliores.

Mollusci characteres. Hypogaea (*Crinita*) tracheis e concha vix exertis, cirratis; pede tereti praelongo in clavam desinente.

Crinitam dicimus ob cirros confertissimos trachearum rictus exornantes, qui caput veluti crinitum effingere videntur.

MOLLVSCI ANATOME.

Tab. X. Fig. 12. Fig. 12 Tab. X Solenis Siliquae cum Mollusco inibi hospitante imaginem refert e natura depromtam. *a b c d* pallium exhibet semiconjunctum, conchae adnatum, atque ad K coalescens; e cujus hiatu pes B C paullo exertus adparet. Hic interdum adeo extenditur ad libitum animantis, ut testae longitudinem aequare

(1) Lib. III, pag. 86.

videatur; mox in pallium, veluti in vaginam, totus recipitur. *ffhh* est trachearum fistula in extremitate sublimi *e* circum binos earum rictus cirris obsita, ac veluti ciliata. Ad musculos *m, n* trachearum retractores, simulque constrictores *ff, hh* patefaciendos, epidermidis partes *o, o*, a testae margine exertas, palliique limbo adnatas, consulto amputavimus. Valvas deinde penitus diduximus sicuti adparet *Tab. X.* in Fig. 15, ut tota Mollusci forma, atque compages, priusquam dissectioni subji- *Fig.* 15. ceretur, aperte pateret. Tracheae branchialis fistulam tantum *hhii* cultro in longum rescidimus, ad branchias *f, f*, quae inibi delitescunt, in apricum educendas. Constant ipsae quatuor lobis, ut alibi dictum est; earumque structuram a ceteris Molluscis bivalvibus haud dissimilem, in Anatome Hypogaeae Verrucosae (1) cumulate tradidimus. Limbo suo interiori *aa, bb*, simul adnatae, tracheam branchialem dirimunt a subjecta A, in quam rectum intestinum *e* influere conspicitur.

B est pes teres, hinc clavam referens, vasculorum exilissimorum plexu reticulari, de quo postea agemus, insignitus; inde desinens in abdomen C, ovarii propaginibus elegantissimis *nn*, per cutem translucentibus, distinctum. Ejus basim tenet os *r* labiis quatuor *s, s, v, v* communitum.

Pars pallii inferior, praeter vasa lymphatica, quae super ipsum repunt usquequaque, musculo medio pyramidali D instruitur, de cujus munere infra disputabimus. *Tab. XI.*

Haec omnia penitius intelligentur, si habeatur ante oculos Fig. 1 Tab. XI, So- *Fig.* 1. lenem Siliquam exhibens, ejusque Molluscum valde amplificatum, et maxima in parte dissectum. A A est trachea branchialis in longum discissa, musculisque retractoribus B, B, conchae adnatis communita. Cirri *bb* ejus rictum cingentes, influunt in ductus respiratorios, ut in Anatome Hypogaeae Variegatae luculenter demonstrabimus. Quae tracheae pars *dd* iis subjacet, maculis fuscis elegantibus interius conspersa cernitur. C est trachea inferior branchiis subjecta, quas mordicus divulsimus ad partes hujusmodi cumulate patefaciendas. Influit in ipsam rectum intestinum K, ut supra monuimus.

a est oris rima labiis quatuor *c, c*, etc. hinc inde per paria distributis, communita. Succedit ei abdomen *pp* in longum dissectum una cum pede *gg*, in quem desinit.

Conflatur abdomen e multiplici musculorum serie, quam in Fig. 10 delinea- *Fig.* 10. tam cernes. Singulae ad fistulae modum compactae ipsum complectuntur. Omnium intima A musculis fascicularibus validis in longum exporrectis conficitur: B, quae

---

(1) Pag. 45.

illi succedit, fibris transversis ac tenuioribus communitur: omnium denique extima C fibris gaudet in longitudinem digestis. Cunctos obducit cutis D D. Insuper totum abdomen musculis transversis funicularibus, ut ad *a a* videre est, cuncta viscera inibi contenta perstringentibus, corroboratur, haud secus ac in ceteris Molluscis bivalvibus. Ima vero sui regio, praeter musculos nunc recensitos, binis perstringitur musculis flabelliformibus E, E, in tendines *b, b* desinentibus, quorum
Tab. XI. capita *c, c* secus imum pallium, musculumque pyramidalem excurrentia, ut ad *e, e*
Fig. 1. in Fig. 1 exprimitur, conchae parietibus adhaerescunt. Tandem musculi abdo-
Fig. 10. minis recti A (Fig. 10) in binos abeunt tendines *d, d*, validos, ac teretes, qui musculum valvarum adductorem F subeuntes, aeque ac ille hinc inde valvis adnascuntur, totum Mollusci corpus intra valvas retrahendo destinati. Tendines hosce
Tab. X. Fig. 15. ad *t, t* in Fig. 15 Tab. X in situ naturali videre est; musculum autem adductorem ad *c*.

Tab. XI. Abdominis basim valde amplificatam a parte dorsi, pallioque instructam osten-
Fig. 11. dit Fig. 11 Tab. XI, ubi dissecta cute *a a*, et musculi transversi funiculares *b b, c c, d d* etc.; et adductor *e*, et rectorum tendines *f, f*, perinde ac flabelliformium *i, i, h, h*, paullo distenti exprimuntur. *m* est oris rictus, atque initium gulae: *s, s* tendineos quosdam funiculos produnt e musculis abdominalibus derivatos, flexibusque mutuis intertextos.

Ex hac Figura aperte liquet pallii velabrum *gg* KK tum musculo pyramidali *pp*, tum orbiculari *qqxx* esse substratum; horum namque fibrae *n*, fasciculatim ab illo avulsae, atque extrorsum reflexae, ipsum usquequaque patere luculenter ostendunt, sicuti ad *r, t, v* cernere est.

Fig. 1. Summum abdomen excipit pes *gg*, qui praeter musculos supra recensitos arctius inter se cohaerentes, spongiosa gaudet substantia *hh* satis valida, atque compacta.

Viscera in abdomine contenta sunt Ventriculus, Intestina, Jecur, atque Ovarium. Ventriculus, et intestina in ima abdominis regione reconduntur, ubi haec
Fig. 1. flexibus variis circumvoluta, desinunt tandem in rectum intestinum K, influens in tracheam inferiorem C. Viscera hujusmodi ex abdomine exemta in Fig. 2 seor-
Fig. 2. sim delineavimus; ubi *a* exprimit os labiis quatuor *m, m, n, n*, quâ se se mutuo respiciunt dupliciter striatis, exornatum; *cb* gulam, eique adjunctum ventriculum; *efghi* integrum intestinorum tractum ad naturae normam circumflexum.

Jecur est viscus amplum, viridescens, bile turgidum, in lobos varios divisum, ventriculum, et intestinorum partem in suo gremio complectens, atque fovens,
Fig. 3. sicuti ostenditur in Fig. 3. Musculi funiculares illius substantiam pervadentes, ut

ad *a* in Fig. 4; ipsum in suo situ valide firmant. Ex imo abdomine in appendicem abdominalem musculo pyramidali subjectam extenditur, ut ad *tt* in Fig. 1 videre est. Singuli lobi e racemis variis compinguntur, qui lente perquisiti folliculis innumeris, ut in Fig. 5, constare videntur: hi folliculi microscopio ulterius adaucti, oblongam formam praeseferre deprehenduntur, qualem Fig. 6 ostendit. *Tab. XI. Fig. 4., 1. Fig. 5. Fig. 6.*

Ovarium non modo abdominis cavitatem complet usquequaque, ut ad *ff* in Fig. 1, sed in appendicem abdominalem ea ratione protensum, quam ad *xxx* cernere licet, illam, quâ late patet, infarcit. Inibi a parte antica, perinde ac jecur, a musculo pyramidali obtegitur, et quodammodo revincitur; cujus fibras *oo*, *ss* in medio amputavimus, atque ad latera revolvimus, aliquot tantum *m*, *n*, *r*, *r*, etc., in suo situ relictis: has ovorum expulsioni promovendae inservire verosimillimum est; a parte vero postica obducitur membrana peculiari, quae ad peritonaeum jure referri posset. Per ipsam vasa lymphatica, atque sanguifera, haud secus quam per ovarium, perreptare videntur, sicuti in Fig. 16 Tab. X ad *i*, *i* luculenter adparet. *Fig. 1. Tab. X. Fig. 16.*

Etsi ovarium, de quo agitur, ab ovis distentum imaginem referat in Fig. 1 exaratam, nihilominus ante foecundationis tempus lente acuta perspectum, tubulorum exilissimorum glomerem multifariam involutum repraesentat, qui praegnatione ingravescente, et formam, et colorem sensim mutare deprehenditur, usquequo tandem niveo candore refulgeat. Illorum imaginem intuendi cupidos ad Fig. 7 Tab. XI amandamus. *Tab. XI. Fig. 1. Fig. 7.*

Abdominis partem in longum dissectam in Fig. 8 delineatam dedimus, ut clare innotesceret ovarii propagines *a*, *b*, *b*, inter musculorum funicularium series *cc*, *ee*, perquam eleganter, atque singulari ordine esse digestas. *Fig. 8.*

Ovorum formam microscopio maxime adauctam ostendit Fig. 9. Conflantur ipsa putamine tenuissimo, humore turgido, cujus centrum tenet in primis corpusculum translucens, quod procedente tempore luci impervium sensim efficitur, donec Solenis perexigui formam quodammodo accipiat. Humoris, cui innatat, naturam Parte II Introductionis, Cap. IV, pag. 49 fuse investigavimus. *Fig. 9.*

Ad Hypogaeae Crinitae thoracem dignoscendum ipsam pronam in Fig. 16 Tab. X delineavimus; ubi dissecto pericardio *bbdd*, cor *a*, ejusque auriculae *c*, *c* in conspectum veniunt. Cor ovatum, uniloculare, musculosum, fibris multifariam simul intertextis compingitur; auriculae vero tendineis repagulis retiformibus roborantur; et margine suo exteriori branchiis de more adnascuntur; quarum pars *f* per tracheam posteriorem *ppqq* in longum sectam adparet. Cordis cavitatem rectum intestinum *ee* praetergreditur, quod inter tendines *m*, *m* mu- *Tab. X. Fig. 16.*

sculorum rectorum abdominalium in primis excurrens, mox sub valvarum adductorem *nn*, influit demum in tracheam posteriorem.

Cordis, atque arteriarum compages in hoc animante est adeo infirma, ut maximam nostram diligentiam, nostrosque conatus pro ipsis hydrargyro complendis pertinaciter eluserit. Quare illarum progressum, atque distributionem per corpus animantis nullo modo investigare nobis datum est.

Tab. XI. Fig. 1. In cisternam lacteam *v* coëunt omnia vasa lymphatica, quorum *u*, *u* a branchiis; 1, 1 autem, et 2, 2 a tracheis derivantur. Trunci inferiores *y*, *y* e binis aliis cisternis rhomboidaeis *i*, *i* proveniunt; in quas alii surculi singulari prorsus ratione, quae in hac Figura ostenditur, influere videntur. Propagines 3, 3 ex abdomine proficiscuntur; *z*, quae iis proxime subest, cisternarum angulis interioribus simul jungendis destinatur. Postremo ramuli 4, 4, surculos innumeros 5, 5, 6, 6, 7, 7, 8, 8 etc. a pallio reduces, atque ab appendice abdominali, in se recipiunt. Cuncta ferme hujusmodi vasorum compages lente vitrea media, qua in nostris observationibus usi sumus [1], dilucide perlustrari potest. Inter tres cisternas nuper commemoratas praestat potissimum summa *v*, quippe quae influit in arteriam aortam haud procul a corde, sicuti in Anatome Chimaerae luculenter ostendemus.

Haec sunt, quae de Hypogaeae Crinitae fabrica dignoscere potuimus; quae quidem a nullo Auctore antehac fuisse investigata Zoologi probe norunt.

SOLEN VAGINA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1113.

Ital. *Solene Vagina*. Neapol. *Cannolicchio ferrato*. Gall. *Manche de couteau*.

Germ. Die Rinne. Belg. *Orgelpypen*. Angl. *Sheath*.

Pennant *Brit. Zool.* Tab. XLVI, Fig. 21.

Tab. X. Fig 5. *Testae characteres*. Testa valde elongata, linearis, recta, glabra, convexiuscula, extremitate summa rotundata, acuta; ima obliqua, sinu carinato distincta; cardine in utraque valva unidentato.

Testae descriptio. Concha haec Soleni Siliquae est maxime adfinis. Differt solum ob valvas unicolores, flavescentes; ob sinum carinatum, extremitatem conchae inferiorem, quae oblique adsurgit, et veluti fastigiata est, circumambientem; postremo ob cardinem simplici dente explanato, e singula valva prominente conflatum, ut ad *aa* in Fig. 6. Praeterea et crassitie, et magnitudine Solene Si-

Fig. 6.

(1) Conferatur *Appendix* ad Introductionem pag. 88.

liqua praestare videtur. Quasdam ex hujusmodi conchis in Museo nostro adservamus, quae 12 pollices in longitudinem, unum in latitudinem patent.

Quas Solenis hujus imagines Ostracologi protulere, e Naturae norma satis abhorrere deprehenduntur.

Historia. Solen Vagina eadem prorsus ratione in arena reconditur ac Solen Siliqua, iidemque utrique sunt mores. At minus frequenter apud nos invenitur. Pausilypum prae ceteris, sinumque Cumanum colit, ad cujus oram interdum furente Noto ingens eorum numerus fluctuum vehementia e sabulo excussus, catervatim projicitur. Quoniam arena, ubi degunt, ob summam sui tenuitatem extra modum inspissatur, atque praedura evadit, pedis adminiculo nullo pacto effodi queunt, ut de Solene Siliqua disseruimus. Quare conchyta unco ferreo instructus, illum alte in latebram defigit, quam foramen exiguum prodit, ut alibi dictum est, et Solenem inibi latentem extrahit. Ejus caro, praeter duritiem summam, admodum insuavis esse deprehenditur, saporemque excitat adeo acrem, atque mordacem, ut nonnisi apud illos, quibus attenuatae sunt opes, pro cibo usuveniat.

Mollusci characteres. Hypogaea (*Tentaculata*) tracheis binis fistulosis, coalescentibus, breviusculis, e concha exertis, cirrisque destitutis: tentacula duo clavata ad imum pallii limbum. *Tab. X. Fig. 5. 9.*

MOLLVSCI ANATOME.

Inter Hypogaeam Tentaculatam, atque Crinitam nullum sane discrimen intercedit, nisi ob formam trachearum, et ob tentacula pone imum pallii limbum insidentia. Tracheas Hypogaeae Crinitae vix e concha exertas, cirrisque multiplicibus obsitas esse demonstravimus: quae ex adverso ad Tentaculatam pertinent, ex binis fistulis glabris, annulatis, simulque coalescentibus, compactae, cirrisque omnino destitutae, ad unum pollicem, vel alterum e concha exeruntur, ut ad *aa* in Fig. 5. Insuper ex imo pallii limbo, quâ respicit dorsum Mollusci, bina adsurgunt tentacula clavae imaginem referentia, ut ad *c,c*. Ceterum animantium compagem, atque structuram penitus inter se convenire deprehendimus. *Fig. 5.* *Fig. 9.*

Tracheas praedictas e Mollusci corpore abscissas, seorsim delineatas videbis in Fig. 8; alterum vero tentaculum lente vitrea adauctum, in Fig. 10. *Fig. 8., 10.*

SOLEN ENSIS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1114.

Ital. *Solene curvo*. Neapol. *Cannolicchio stortariello ; Cortiello.*

Gall. *Manche de couteau courbée*. Germ. Die Erbsenschotte. Belg. *Suiker-Peultje.* Angl. *Scymetar.*

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCCCXI, Fig. 257.

Argenville *Conch.* Tab. XXIV, Fig. L.

Pennant *Brit. Zool.* Tab. XLV, Fig. 22.

Tab. XI. Fig. 14. *Testae characteres*. Testa valde elongata, linearis, subarcuata, nitida, cardine altero dente duplici.

Testae descriptio. Solen Ensis nonnisi ob formam instar ensis falcatam, et ob valvas angustiores differt a Solene Siliqua. Ceterum cum illo penitus convenire deprehenditur. Valvarum color interdum saturatior esse solet, maculaeque fuscae transversae minus sensibiles.

Historia. Solen Ensis cum Siliqua promiscue vivit, iidemque prorsus utrique sunt mores; eadem illos capiendi ratio; suntque palato aeque suaves. Nihilo tamen secius Solen Ensis minus frequens quam Siliqua apud nos esse solet.

Mollusci characteres. Hypogaea (*Falcata*) tracheis binis contiguis, cirratis, brevissimis; pallio antice coalescente, foramine medio, ovali, cirrato; pede tereti, clavato, rufo.

Pallium antice coalescens foramine medio, cirrique circa trachearum radicem, characteres essentiales constituunt Hypogaeae hujus (1); quum de reliquo omnino conveniat cum Hypogaea Crinita, cujus nonnisi varietatem esse arbitramur.

Hypogaeam hanc ideo *Falcatam* nuncupavimus, quod conchae sinuatae, ut supra dictum est, adnata, eamdem formam praeseferat necesse est.

MOLLVSCI ANATOME.

Quae ad fabricam spectant Hypogaeae Falcatae haec sunt. Tracheae binae, contiguae, vix e testa exertae, ita ut relaxatae foraminiformes esse videantur. Utraque cirris horrescit, non modo circa rictum, sed etiam circa basim; ambaeque fuscis maculis offusae perinde ac cirri: trachea superior amplior inferiori. Pallium antice conjunctum a summa sui parte fere ad imam: at in ejus medio rima exstat ovalis, duas circiter lineas patens, cirris brevibus, subulatis, exornata circa oram.

---

(1) Hypogaea ista adhuc viva pallii limbum antice coalescentem jugiter gerit: ea vero interemta, brevi ultro dehiscit.

Pes teres in clavam desinens, ut in Hypogaea Crinita, vasculisque reticulatis, rufis, elegantissimis, nonnisi microscopio conspicuis, circumseptus. Reliquarum partium fabrica, atque compages ne hilum quidem differt ab Hypogaea nuper commemorata: musculi iidem; ovarium ex abdomine in appendicem abdominalem deorsum protensum, atque hepati superstratum; os, labia eadem; viscera, et vasa prorsus similia[1]. Mense Martio, et Aprili ovis jam perfectis erat onusta.

* * Cardine, ligamentoque medio.

SOLEN LEGVMEN.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1114.

Ital. *Il Baccello*. Neapol. *Sanguetta*. German. Die Saubohne.

Belg. *Boereboon*. Angl. *Suboval Razor; Peasecod.*

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCCCXX, Fig. 264.

Planch. *Conch.* Tab. III, Fig. 5.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. XCI, Fig. A.

Adanson *Coquill. du Sénég.* Tab. XIX, Fig. 3.

Pennant *Brit. Zool.* Tab. XLVI, Fig. 24.

Born *Test. Vindob.* Tab. II, Fig. 1, 2.

Testae characteres. Testa ovato-oblonga, recta, transversim elongata, valde angusta, tenuissima, hinc inde rotundata, striisque exilissimis in transversum distincta; ligamento, atque cardine in medio marginis postici. *Tab. XI. Fig. 15.*

Testae descriptio. Testa exigua, valde angusta, recta, utrinque in transversum elongata marginibus rotundatis, acutis, ellipticam fere formam referens altera extremitate tenuiorem. Valvae exilissimae, translucentes, nitidae, flavescentes, unicolores, striis veluti capillaribus transversim decorantur, et epidermate tenui, ac veluti vitreo, instar Solenum praecedentium, obteguntur. Ligamentum, secus ac in illis, medium fere occupat marginis postici; eique subest cardo, sex denticulis compactus; quatuor scilicet in altera valva, quorum bini erecti, valde approximati, adunci, valvae alterius dentem laminiformem in se recipiunt; bini alii ea ratione disponuntur, ut alter lateralis omnino depressus, alter vero brevissimus margini postico incumbat. Inter ipsos denticulus alter valvae oppositae inseritur. Ceterum cuncti isti denticuli sunt adeo tenues, ut et lente vitrea explorari debeant, et nonnisi aegre integri servari queant. Insistunt

(1) Conferatur anatome Hypogaeae Crinitae ad Solenem Siliquam spectantis.

omnes binis veluti radiis testaceis elevatis, ad angulum acutum utrinque simul junctis.

Tab. XI. Fig. 15. Concha haec, quam *Onychem*, vel *Solenem foeminam*, fortasse ob habitum graciliorem, Plinius appellavit, communiter haud latius patet quam in Fig. 15 Tab. XI; ubi illam Mollusco suo adhaerentem delineavimus.

Historia. Solen Legumen glareosum amat solum, et aquas immundas. Quare apud nos nonnisi quasdam colit plagas, ubi urbis colluvies in mare effluens, illius aquas turbidas, foedasque reddit. Solenes hujusmodi in aquis altioribus degunt quam Siliquae, atque Enses; ibique ea ratione in glarea delitescunt, ut foramina, per quae tracheae exeruntur, a saxi alicujus limbo quodammodo tegantur; siquidem in aprico degere haud habent in deliciis. Rastro capiuntur, cujus adminiculo conchytae glaream discriminantes, tum illam, tum Solenes inibi latentes, simul cum aliis conchis, in reticuli speciem recipiunt, sacculi formam praeseferentis, rastroque nuper commemorato circumducti [1].

Eorum carnes inter edulia minus recensentur, quum sint palato insuaves, saporemque excitent satis austerum.

Mollusci characteres. Hypogaea (Hirudo) tracheis binis disjunctis, longiusculis; pallio, pede, abdomine, humore sanguineo saturo copiose suffusis.

Fig. 15. Inspice Fig. 15 Tab. XI, ubi ipsam modicae magnitudinis testae suae adnatam, pede, atque tracheis exertis repraesentavimus. Hirudinis nomen Hypogaeae huic adjunximus tum ob humorem cruentum, quo undique offunditur; tum etiam ob pedis formam, Hirudinis pedem interdum referentem.

MOLLVSCI ANATOME.

Fig. 15. Tracheae binae *a*, *b*, disjunctae, rictu cirrato, longitudinem unius pollicis aequantes: superior amplior inferiore: utraque lineis in longum alterne niveis, atque rufis vermiculatis, exornata. In trachea ampliori *a* lineae niveae octo, quarum apicibus superioribus respondent totidem cirri majores: totidem vero minores imminent apicibus linearum rufarum, quarum singulae in medio duorum minimorum consistunt. Cirri tracheae minoris *b* exiliores, et numero longe pauciores. Ambae tracheae in motibus Mollusci vehementioribus sanguineo humore

---

(1) Rastrum hoc, aliaque hujus generis instrumenta, quae a Conchytis usurpantur ad conchas praecipue bivalves e sabulo eliciendas, e natura delineata inspicere est in Parergo finali ad calcem hujus Ordinis adjecto.

leviter suffunduntur. Major aquam absorbet, respuitque identidem vi vehementi, et rapidissime; tumque cirri flectuntur super hiatum.

Pallium antice coalescit a summa parte ad imam. Ejus limbus inferior secus hiatum, ex quo pes exeritur, cirris ramosis insignitur. Ejusdem membrana lente vitrea inspecta vasculis innumeris elegantissimis sanguineo humore coruscantibus, crebrisque anastomosibus simul coëuntibus, ornata deprehenditur. Haud secus similes vasculorum plexus (animante adhuc vivo) adverso lumine per testam translucentes cernere licet super capita musculorum valvarum adductorum, quâ conchae adhaerescunt.

Os, labia, branchiae haud dissimiles, quam in Hypogaea Crinita; at labia lineis sanguineis exilissimis decorantur: branchiae sanguineo humore ferme repletae cernuntur. Appendix abdominalis brevissima; ideoque ovarium vix extra abdomen protenditur sub musculum valvarum adductorem. Ob partium plerarumque formam, atque compagem Hypogaeae Crinitae quammaxime adsimilatur.

Pes teres, longus, ut in Hypogaea Crinita: apex transversim oblique truncatus, vasculis rufis, reticulatis, elegantissimis gaudet; at quum e concha exeritur, quod fit motu vehementi, et rapidissimo, interdum subulatus, vel lanceolatus, saepenumero pileatus evadit, pileo ovato oblongo inferius carinato, ut ad *c* in *Tab.XI.*
Fig. 15. Tum et pileus ipse, et pes, et abdomen universum humore sanguinolen- *Fig.* 15.
to adeo suffunduntur, ut purpureum colorem adipiscantur: quamvis mirando prorsus spectaculo, in diversis motibus, quos absolvunt, identidem pallescere videantur, mox praedicto rubente humore rursus offundi. Pedis hujusmodi adminiculo animal nedum idoneum fit ad progrediendum, sed perquam facile, ac citissime super latus revolvitur; quod frequentissime nobis ipsum curiose explorantibus conspicere datum est.

SOLEN STRIGILATVS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1115.

Ital. *Solene Strigilato*. Neapol. *Lattero d'arena*. Gall. *Lanterne rouge rayonnée de blanc*.
Germ. Die rosenrothe Strahlſcheide. Belg. *Roodachtige bruine Zonnestraal*. Angl. *Black Razor*.

Rondelet. *De Test.* lib. I, pag. 14.
Bonann. *Recreat.* Class. II, Fig. 77.
Lister *Hist. Conch.* Tab. CCCCXVI, Fig. 260.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. XCI, Fig. C. *Tab.XII*

Testae characteres. Testa ovata, striis sinuosis, decussatis, obliquis, radiisque *Fig.* 1.
binis albis divaricatis transversim distincta; cardine medio.

Testae descriptio. Testa ovata, crassiuscula, subdiaphana, paullo convexa, extremitatibus rotundatis, marginibusque acutis. Praeter strias transversas obsoletas, radiis binis albis, ac pyramidalibus distinguitur, interius etiam conspicuis; qui a cardine proficiscentes ad angulum acutum divaricati, marginem anteriorem attingunt. Insuper lineis obliquis sinuosis leviter incisa conspicitur, ad alterum latus minime pertingentibus. Valvae universae roseo colore micant, qui interius laetior efficitur: limbus tamen epidermate tegitur tenuissimo, fuscoque colore imbuto. Cardo medium tenens marginis postici, in singulis valvis dentibus binis compressis, recurvis, atque approximatis compingitur, apicibus paullo divaricatis [1]. Ligamentum amplum valde fuscum ad utrumque conchae latus a cardinis plaga producitur.

Tab. XII. Fig. 1. 2. 3. Fig. 1 Tab. XII Solenem hunc mediocris magnitudinis e latere repraesentat; Fig. vero 2 a parte postica. Demum Fig. 3 eumdem exhibet valvis diductis, quo et radii albescentes *a*, *a*, *b*, *b*, in ejus cavitate conspicui, et cardinis dentes ad *c*, *c*, et ligamentum *d d* luculenter oculis subjiciantur. Haud raro conchae hujusmodi occurrunt magnitudine praestantiores; ideoque Hypogaeam gestantes lon-
Fig. 4. ge illa proceriorem, quam in Fig. 4 effingendam curavimus.

Historia. Solen Strigilatus eadem incolit loca arenosa, ac Siliqua, atque Vagina; eademque prorsus ratione, licet altius, sub iis delitescit. Colit praecipue oram maritimam ad Porticus Herculanenses, *Granatello* vulgo nuncupatam, illosque maris tractus, qui secus amoenissimum Pausilypum, interque Puteolos, atque Bajas ad Misenum usque Promontorium protenduntur. Mare pariter Siculum, praesertim ad Pelori Promontorium, ipso abundare cognovimus; unde Chamae Peloridis denominationem a Plinio usurpatam derivasse putat eruditissimus Bonanni [2]. Hypogaea, quam in se fovet, vere ineunte ovis luxuriari videtur, eaque perinde ac ceteri Solenes enititur ad speciem propagandam. Ejus carnes satis copiosae, atque tenerrimae, prunis tostae, oleoque, pipere, atque petroselino aspersae, liberale, ac jucundissimum praebent alimentum. Urinatores in mare submersi arenam manibus effodientes ubi trachearum orificia eas delitescentes produnt, Solenes hujusmodi in apricum educunt. Hoc autem nonnisi aestivo tempore praestare queunt; siquidem rigente hyeme, et Solenes in late-

---

(1) Clarissimus Born unicum dentem statuit in altera valva, concha certe usus labefactata. Experientia edocti Ostracologos monitos facimus plurimarum concharum cardines ob dentium fragilitatem facillime labefactari dum Molluscum a concha divellitur.

(2) *Recreat. Ment. et Oc.* Part. II, Class. II, num. 77.

bris altius reconduntur, et aquae frigidissimae Conchytas ipsos in mare submergi non sinunt. Tum igitur, ubi aquae humiliores sunt, pala ferrea arenosum solum effodientes, Solenes praedictos e latebris extrudunt.

Mollusci characteres. Hypogaea (Variegata) tracheis binis subconicis, annulatis, in amplam fistulam infra coalescentibus; pallio semiclauso, musculo cruciformi distincto; pede amplo ovato, ancipiti; maculis rufis elegantissimis undique aspersa. *Tab.XII Fig. 4.*

MOLLVSCI ANATOME.

A B vivum animal conchae suae adnatum repraesentat; quod tam longe hinc inde patere deprehenditur, ut nullo pacto totum in illam se se recipere queat, C D est Pallium semiconjunctum, at inferne amplo hiatu *ef* pervium, a quo abdomen G, pesque B exeruntur. Pallii hujusmodi limbus duplici cirrorum ordine instruitur, quorum primus ejus ambitum occupat, alter vero pone limbum ipsum jacet: uterque ob sui tenuitatem nonnisi lente vitrea conspiciendus; tum enim talis adparet, qualem Fig. 6 ad *aa, bb* repraesentat. Excipit limbum ipsum membrana tenuissima *cc* crebris punctis fuscis distincta, qua totus limbus circumundique cum testae ambitu conjungitur; indeque extrorsum revoluta, testae ipsius marginem obvelat. Haec in situ suo naturali sub litteris *hh*, *ii*, exhibetur in Figura 4. *Fig. 4. Fig. 6. Fig. 4.*

Pallium abit superne in fistulam amplissimam AE subconicam, medio septo longitudinali in binas alias distinctam, ut infra videbimus. Sunt hae binae tracheae; superior scilicet, atque amplior, branchiis complectendis addicta, et inferior illi subjecta, in quam influit rectum intestinum. Imminent utrisque binae aliae fistulae exiliores K, L, illis continuae: hae ex pluribus annulis musculosis *m*, *n*, *o*, etc. compactae, cirrisque circa rictus *s*, *x*, insignitae, tali contractionis vi donantur, ut tota sui longitudine exertae (quod animali in vivario detento nonnumquam observare occurrit), formam, et magnitudinem in Fig. 5 exaratas adamussim repraesentent. Singulae lineis albidis longitudinalibus, *aa*, *bb*, *cc*, etc. circumquaque distinguuntur, ductuum respirationi inservientium viam indicantibus; qui a cirrorum basi *ee*, *oo*, proficiscentes, tendunt ad vasa branchialia, in quae immittuntur, ut primum fistulae amplissimae A radicem attingunt, ut postea videbimus. *Fig. 5.*

Illud in istiusmodi tracheis est admirandum, atque singulare; nimirum quod annuli musculares, ex quibus componuntur, haud raro a se invicem absceden-

Tab. XII tes ut ad s, x, in Fig. 4, mox ea ratione, atque celeritate iterum coalescere viden-
Fig. 4. tur, ut nullum prorsus praedictae disjunctionis vestigium relinquant. Admirandum hoc phaenomenon, revera jucundissimum, nobis saepenumero animalia ista in vivario contemplantibus observare occurrit. Insuper ambae tracheae forcipe mordicus recisae, et a Mollusco omnino avulsae, interdum per tres ferme dies cunctos sui motus ea ratione perfecerunt, ac si corpori animantis conjunctae nullo pacto labefactatae fuissent.

In superiore pallii regione enitent quammaxime muscoli crucifurmes *r, r, v, v*, qui a communi veluti puncto *z* proficiscentes, ubi simul coalescunt, ad testae oram interiorem tendunt, palliique limbum cum illa levi vinculo connectunt [1].

E pallii hiatu, de quo supra dictum est, producitur abdomen G, torosum, ellipticum, anceps, desinens in pedem B; cujus apex modo cunei, modo cultri, interdum etiam terebrae formam pro re nata induens, vi, atque rapiditate ferme incredibili vada arenosa discindit, incidit, perforat, quo totum animal profunde in ipsa se se intrudat, ibique delitescat.

Cunctas partes hucusque declaratas obducit membrana tenuissima, quam *arachnoidaeam* recte nuncupares. Haec universo animantis corpori ex fusco rubescentem variegatum colorem tribuit, quo totum superbire conspicitur: at digitis ruditer contrectata, protinus abraditur, eosque fusco colore offundit. Lente vitrea perspecta, praesertim in pede, elegantissimos ostendit vasculorum plexus, qui ad retis formam crebro inter se coëuntes, opus reticulatum efficiunt, quod
Fig. 7. in Fig. 7 ad vivum exhiberi curavimus.

Fig. 8. Quo animantis hujus fabrica penitius innotescat, juvat in primis Fig. 8 Tab. XII oculis subjicere. Inibi fistula maxima A B tracheae superioris una cum exiliori *a a*, in quam abit, in longum dissecta, branchias C C, D D, in illa delitescentes in conspectum prodit. *b b d d* est pallium: *c c* musculus cruciformis, seu fibularis in medio amputatus; E musculus inferior valvarum adductor; *m* os duplici labiorum pari *n*, *n*, ejusque socio insignitum; F F denique abdomen, pesque dis-
Tabula sectus, in quibus tum intestina *e e* in naturali situ simul implexa, tum etiam mu-
XIII. sculi abdominales, de quibus postea agemus, dilucide patefiunt.

Fig. 1. Intestinorum tractum naturalis magnitudinis in Fig. 1 Tab. XIII ea ratione seorsim exaratum cernes, qua in abdomine animantis circumvolutus deprehen-

---

(1) Musculum hunc fibularem Hypogaeae Variegatae nullo pacto officere characteri essentiali Peronaeae a nobis constituto ii plane intelligent, qui probe norint in Peronaea pallii limbum omnino divisum simplici tantum fibula musculosa antice connecti. Vide Caput II, Partis II *Introductionis*, pag. 29.

ditur. Os labiis *a, b, c, d,* instructum, gulam *e*, atque ventriculum *ho* in longum amputavimus ad ostia *r, s, t, v,* patefacienda, per quae bilis ex hepate largiter influit in ventriculi cavitatem. Ostia haec valvulis semilunaribus gaudent, ne quae in ventriculo continentur in ipsa intrudi queant. *x x* est musculus valvarum adductor, cui os, atque gula incumbunt. Sub *o* pylorus delitescit ducens in intestinum *f g;* quod multipliciter inde circumvolutum haud secus quam ad *gkmn* repraesentatum cernes, desinit postremo in rectum *y*.

Animadvertendum porro intestinum jejunum *fg* (si ita illud nuncupare fas *T. XIII. Fig. 1.* est) plica in longum, septum veluti quoddam efficiente haud secus quam in trachea GG in Fig. 9 Tab. XII ad *ff, hh*, expressum vides, in binas fistulas dirimi; *T.XII. Fig. 9.* quarum altera intestinum ipsum constituit, altera vero thecam efficit *fz* stilo crystallino in se recondendo destinatam. Stilum hunc in Fig. 8 seorsim delineatum cernes, perinde ac sagittam tricuspidem in Fig. 9, et microscopio amplificatam in Fig. 10. Stili apex *a* sagittae hujusmodi adnatus in ventriculum intruditur ob munus obeundum, de quo in anatome Hypogaeae Verrucosae ad Pholadem Dactylum spectantis pag. 46 dictum est.

T. XIII. Fig 1., 8.
Fig. 9.
Fig. 10, 8.

Ventriculum, atque intestinorum partem complectitur hepar, ex folliculis globosis exilissimis compactum bile completis, quos microscopio adauctos ostendit Fig. 4. Per ipsos vasa sanguifera repunt, de quibus infra disseremus. *Fig. 4.*

Animantem pronum e concha avulsum exhibet Fig. 9 Tab. XII, simulque *T. XII. Fig. 9.* tracheam inferiorem GG pariter dissectam, parietibus suis *ff, hh*, paullo diductis, ad branchias *gg*, quae in trachea superiori, ut jam vidimus, delitescunt, patefaciendas. Hujusmodi parietes in statu naturali simul adnati, ambas tracheas a se invicem dirimunt; quibus deorsum, sive in concham retrahendis, inserviunt musculi retractores H, H valvis adfixi. *i* est rectum intestinum abiens in tracheam inferiorem. *kk, o, o*, sunt bini musculi valvarum adductores; *t, t, v, v*, tendines musculorum abdominalium. Sub *ll* jecur, atque ventriculus, et opportuno tempore ovarii propagines quoque reconduntur. *rr* partem quamdam exhibet tenuissimam, fibris veluti carneis compactam in longum digestis, atque binis tendinibus *a, a,* hinc inde adhaerentem. Imminet illi pericardium II obtegens cor K per ipsum translucens: fibrillae musculares pectinatae, et surculi arteriosi, quibus gaudet, ad CC, *abb* in Fig. 10 exhibentur. Proxime ultra cor, immo sub *Fig. 10.* ejus apicem anteriorem, viscus testaceum *pp* (1) jacere deprehenditur, exilissimis *Fig. 9.* vasculorum surculis distinctum, et pericardio ipso simul obductum. Postremo

(1) Conferantur quae de ejus munere disseruimus Cap. III, Part. II *Introduct.* pag. 42.

Tab.XII. Fig. 9. partes adhuc recensitas circumducit pallium amplum L L M M musculo orbicu-
Fig. 6. lari N N O O communitum. Ad *x* membranae fuscae laciniam expressimus, in Fig. 6
Fig. 9. ad *cc* seorsim delineatam. *y*, *y*, *z*, *z*, sunt capita tendinum musculi cruciformis, quibus ille valvis adnascitur. Plerarumque hujusmodi partium fabricam, quae ulteriori egent indagine, penitius infra illustrabimus.

Tabula XIII. Musculorum fabrica, ad Molluscum, de quo agimus, spectantium, iconibus melius quam verbis explanari potest; sunt enim ipsi revera implicatissimi. Qua-
Fig. 2. re Figuram 2 Tab. XIII in primis inspicere juvat ad musculorum pedis, atque abdominis A B fabricam intelligendam. Latus alterum A pedis, atque abdominis dissecti, eorum compagem, atque nexum offert aliquatenus intemeratum; siquidem *a a*, *c c*, etc. sunt musculi funiculares majores ad abdomen pertinentes, quibus tanquam totidem funiculis, ab uno ad alterum abdominis latus pergentibus, cuncta, quae in illo continentur, per quam firmissime simul religantur. Paucos hujusmodi musculos ad *e e* integros reliquimus, quo status omnium naturalis plane innotesceret. Reliqua ejusdem lateris pars tum musculos reticulares exhibet ad pedem spectantes, tum etiam funiculares minores *i*, *i*, *i*, *i* etc. ex ipsorum areis prodeuntes. Hos in statu naturali, ut de abdominalibus dictum est, ad *b b* conspicere licet. At reticularium fabrica, atque compages in altero latere B ad *t*, *t*, *t*, *t* etc. ostenditur; ubi, quo clarius illorum contextus patefieret, funiculares omittere judicavimus. Horum tamen origo est hujusmodi. Musculis reticulari-
Fig. 3. bus *a a*, *b b*, in Fig. 3 exaratis, musculorum teretium series *c c*, *d d*, *e e* proxime substernitur, ex quorum fibris fasciculi aliquot compinguntur, qui a reliquis diducti fere ad angulum rectum, musculos funiculares constituunt *f*, *f*, *f*, *f*, *h*, *h*, *h* etc., per reticularium areas *i*, *i*, *i*, *i* etc., se se exerentes, ut Figura ostendit. A B, C D, tertium, ac postremum perhibent musculorum abdominalium ordinem, geminis jam descriptis proxime subjectos.

Fig. 2. Musculos abdominis reticulares proxime tegunt utrinque recti *s s s* etc., atque obliqui *m*, *m*, *n*, *n*. *x* exprimit oris rimam in tegumento abdominali *inditam*; *y* vero musculos transversos exilissimos eidem tegumento constratos, quâ ipsum ceteri musculi supra memorati haud attingunt. F, F postremo sunt gemini musculi retractores, e rectorum fibris *s s s* etc. simul coalescentibus praecipue conflati. Hi testae valide adfixi, totum abdomen, contractione sua, et strenue corrugare, et ad testam ipsam una cum pede retrahere queunt ad libitum animantis.

Hoc absoluto, trachearum fabricam explicare adgrediemur, quam ad respirationis munus clare intelligendum (de quo alibi dictum est [1]) quam maxime con-

(1) *Introduct.* Part. II, Cap. V, pag. 51.

ducere existimamus. Dicemus igitur ABCD tracheam inferiorem; EFGH superiorem, sive branchialem [1], utramque in longitudinem dissectam, repraesentare. *aa, bb, cc, dd, ee, ff, gg* etc. sunt totidem canales in utriusque tracheae sinu delitescentes, hic autem cultro reclusi; quos pro eorum munere *respiratorios* nuncupamus [2]. Hi omnes influunt in canalem transversum KK, ad quem evadunt pariter similes canales superiores *hh, ii, uu, ll, mm, nn*, ceterique omnes in longitudine tracheae inferioris ABCD eadem prorsus ratione digesti. Cuncti porro inferius influunt in lacunam LL cum canalibus branchialibus simul communicantem; superius vero in cirros *h, i, u, l, m, n* etc., trachearum oram circa rictus exornantes. Revera hydrargyrum in canalem ex. gr. *dd*, vel *gg*, ceteris ampliorem, injectum, hinc canales reliquos, lacunam LL, atque vasa branchialia omnino replere; illinc per cirros mox recensitos guttatim prolabi conspicitur. Lacuna isthaec omnino integra cum vasis lactiferis super ipsam perreptantibus, in Fig. 6 sub litteris *xx* videri potest; canales autem branchiales ad BB, branchiis CC, DD, a tracheis distractis, atque deorsum revolutis, adhaerentes. *T. XIII. Fig. 5.* *Fig. 6.*

Praestat modo intimam earumdem trachearum fabricam ulterius reserare. Patebit ipsa manifestissime ex inspectione Fig. 6. E est cutis interior tracheas obvestiens, cui proxime subsunt musculi illarum retractores FM, GM, ex fibris innumeris fasciculatis intertexti, quarum aliquas *a, b, c, d*, a ceteris diduximus: fibrarum *a, c* summitates veluti articulatae, partes exhibent sectionum annularium, quibus summae tracheae HK, et I compinguntur. Idem omnino de trachea inferiori IL intelligatur. Musculis istis retractoribus alter substernitur ordo musculorum transversalium, sive constrictorum O, quorum munus est trachearum capacitatem constringere. Cunctos denique per totam trachearum longitudinem prolatos, complectitur cutis extima P, quam extrinsecus membrana arachnoidaea fragilissima, variisque coloribus nitens, obvelat usquequaque. *Fig. 6.*

Juxta radices musculorum retractorum S, S ad tracheas spectantium, adnascitur utrinque pallio corpus quoddam *o, o*, ex adiposa veluti substantia compactum [3], et rudem veluti tubulorum formam praeseferens communi membra- *Fig. 5.*

---

(1) Lectores hic monere operae pretium putamus in Hypogaeis, secus ac in ceteris Molluscorum generibus, branchias in trachea superiori, quae propterea branchialis dici meretur, delitescere.

(2) *Introduct.* Part. II, Cap. V, pag. 52.

(3) Substantia haec tum colore, tum consistentia adipi perfecte adsimilatur. Si Hypogaeam hanc, atque Verrucosam excipias, nulla alia Mollusca testacea hujusmodi substantia instructa esse invenimus.

na obductorum, sicuti de Hypogaea Verrucosa pag. 44 dictum est. Quodnam sit ejus munus conjicere non audemus.

T.XIII. Demum ad cordis fabricam, viasque circulationis patefaciendas ventum est. *Fig. 7.* Cor paullo amplificatum, atque dissectum, in Fig. 7 delineari curavimus, auriculis C, D, hinc inde instructum. Rectum intestinum *a b* ejus cavitatem permeat secus vias utriusque aortae A, B, quae per aliquot lineas ipsum in sui sinu fovent, ut in *a*, et *b* adparet: mox ab iisdem recedens, hinc ad abdomen, illinc ad tracheam pergit. Hic autem ipsum dissectum, atque a corde quodammodo exemtum repraesentavimus, ut validi lacerti musculosi *d*, *e*, *x*, *y* etc., patefierent, quibus cordis cavitas usquequaque obsita est.

Porro ad circulationis vias apte detegendas hydrargyro in ipsas diligenter injecto usi sumus. Praestat igitur ipsas in hoc statu, atque in naturali situ intueri in *Fig. 5.* Fig. 5. P est cor gemina aorta, ascendenti scilicet Q, atque descendenti R insignitum. Hydrargyro in ipsum illato feliciter accidit, ut illud et in surculum *a* *Tab.XII Fig. 10.* (Tab. XII Fig. 10), ejusque propagines *b*, *b*, ad pericardium C C spectantes, et *T.XIII. Fig. 5.* in arterias coronarias *s*, *s*, inopinato influeret, easque ea ratione conspicuas redderet, ut in Figura cernere est: mox sursum evectum in aortam ascendentem Q, ramulos *t*, *t*, *r*, *r* ex illa emergentes patefecit; quorum hi pone podicem *x* prodeuntes, lacunam, L L in primis, deinceps musculum pallii orbicularem petunt, eumque comitantur; illi vero, sive *t*, *t*, deorsum flexi, ad viscus testaceum pergunt, aliasque partes illi circumjacentes. Aorta descendens R super Mollusci dorsum excurrens, ramos *y*, *y*, *z*, *z*, tribuit in primis hepati, mox consequentes elegantissimos I, I, M, M, gemino labiorum pari: deinde deorsum flexa ad N in abdomen se se conjicit. Inibi truncus praecipuus N O recta deorsum pergens, propagines suas cunctis abdominis, atque pedis musculis praesertim largitur; ramus vero T hepati primum, atque ventriculo surculos tribuens, secus intestina excurrit ea ratione, quam Figura ostendit; et nedum illis, et cunctis visceribus in abdomine contentis, sed musculis pariter propagines multas, atque exilissimas praebet.

Fig. 5. Venas branchiales *v*, *v*, cum cordis auriculis X, X, connexas, consulto recidimus, ne progressum arteriae aortae hactenus recensitae ullo modo occultarent. *Fig. 11.* Praestat autem earum distributionem in branchias intueri in Fig. 11. A, A, sunt ipsarum summitates proxime ab auriculis recisae; hinc per branchiarum D E F G longitudinem excurrentes sub vasa branchialia B *g*, B *g*; perinde ac illa, ramos utrinque *a*, *a*, *b*, *b*, *c*, *c* etc., branchiis ipsis pectinatim tribuunt, gradatimque decrescentes; qui hydrargyro injecto, ut in hac Figura ostenditur, confestim in surculos complures super branchias perreptantes, dirimuntur. Quo istos lucu-

lentius patefaceremus, lamellam membranae branchialis I ad latus revolutam delineavimus. Ramuli illi pectinati, quos hic, aeque ac partes reliquas, paullo amplificatos repraesentamus, sunt adeo conferti, ut sexaginta ferme in pollicis longitudine utrinque obtinere conspexerimus. Notatu dignum censemus ramos hujusmodi interiores tum in venarum, tum in vasorum branchialium initio, ab uno *T. XIII.* ad alterum horum vasorum recta pergere, inque illa hinc inde influere, ut ad *hh*, *Fig.* 11. *ii*, et sic porro, cernere licet.

Vasorum lacteorum origo, atque distributio ex eadem Fig. 11 conspicue patebit; *Fig.* 11. siquidem *d, d, e, e* branchias adire videntur; surculi vero ad *o, o,* ulterius in complures alios diremti, tum pallium universum petunt, tum geminas tracheas; inque iis mirifice distribuuntur. Hac igitur via humor, qui per illos provehitur, in cisternam *n* demum erumpit, ut Cap. III Part. II *Introd.* pag. 39 dictum est.

Hypogaeae hujus fabricam a nullo Auctore antea perquisitam, singulari studio investigare, iconibusque exprimere conati sumus.

GENVS III.

TELLINA.

Ital. *Tellina*. Neapol. *Tonninola*. Gall. *Telline*. Germ. Die Tellmuſchel.

Belg. *Dun Schaalen*. Dan. *Tellinen*. Angl. *Tellen*.

Generis characteres. Testa bivalvis, antice hinc ad alterum latus flexa. Cardo: dentes tres; laterales plani, alterius testae.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1116.

Generis descriptio. Tellinarum aetymologiam a graeca voce τελεια, *perfectus*, sive *adultus*, derivasse putat Rondeletius, ob ingentem fortasse celeritatem, qua ipsae adolescunt [1]. Vagam apud priscos hujusmodi denominationem peculiari testarum Generi indidit illustris Linnaeus, conchas illas bivalves complectenti, quarum antica pars ea ratione deprimitur, leviterque inflectitur, ut valva altera plicam convexiusculam, altera vero cavam gerat. Quoniam vero characterem hunc ad Genus apte definiendum satis non esse agnovit egregius Auctor, quippe in plerisque Tellinis subrotundis plicae modo commemoratae omnino deficiunt (licet striae, si quae sunt, versus latus anticum divaricatae ipsarum vices quodammodo gerant); ideo characteres alios e concharum cardine depromtos illi adjungendos existimavit. Tellinarum igitur cardo tribus constat dentibus primariis alternis, quorum medius ex altera valva producitur. His adduntur saepe-

(1) *De Testac.* Lib. I, Cap. V, pag. 6.

T. XIV. Fig. 2. numero bini alii laterales, vel exerti, vel fere explanati, alteri tantum valvae adfixi: qui tamen in quibusdam omnino deesse videntur [1]. Vide Fig. 2 Tab. XIV.

Quamvis autem multiplices Tellinarum species memoratis cardinis adfectionibus inter se conveniant, valvarum tamen forma summopere variare deprehenduntur. Idcirco illas Linnaeus in tres veluti familias dispertivit; nimirum in *ovatas compressas*; in *ovatas ventricosas*, seu *crassiusculas*; et in *subrotundas*. Sunt ipsae plerumque exiles, venustae, nitidae: quaedam strias gerunt; nonnullae autem tenui epidermate obteguntur. Aliae testaceam indolem praeseferunt; aliae vero margaritaceo fulgore splendescere cernuntur. Colunt omnes arenosum solum, vel limo compactum, in cujus gremio secus maris litus, vel ad amnium, lacuumque ripas plus minus alte delitescunt, latere suo antico, tracheisque Mollusci sursum exertis. Harum altera, sive branchialis, respirationi perficiendae [2], excrementique eliminandis inservit; altera vero, seu trachea pallii, aquae, limo, atque arenae absorbendis addicitur: quae omnia in pallium immissa, ac inter illud, branchiarumque lobos circumfluentia, conchas extra fidem exilissimas, marina insecta, limosam pultem, quidquid denique esculentum in semetipsis irretitum habent, in Mollusci os facile ingerunt. Quod sane in ceteris hujusmodi Molluscis simul obtinere intelligatur.

Pro varia porro concharum forma, atque adfectionibus, Mollusca simul ipsas incolentia diversam naturam ut plurimum praeseferre deteximus, adeo ut nova pro ipsis Genera condere debuerimus, atque alia ad Hypogaeam, alia ad Loripedem, alia denique ad Peronaeam traducere, ut suo loco exponemus. Pleraque tamen horum Molluscorum ad Peronaeam referuntur, cujus characteres sequentibus verbis definimus.

Tracheae binae fistulosae, longissimae.

Branchiae patentes [3] *apicibus anticis tantum connexae.*

Pallii limbus cirratus, juxta trachearum basim fibula dumtaxat valida musculosa arcte conjunctus.

Pes lanceolatus.

Fig. 1, 5. Inspice Fig. 1, et 5 Tab. XIV.

---

(1) Quum Tellinarum cardo plures subeat varietates; quotiescumque ipse a regulari forma abludit, ad valvarum characterem supra relatum confugere oportet ad genus apte definiendum.

(2) *Introduct.* Part. II, Cap. V, pag. 51.

(3) Branchias *patentes* dicimus, quum inter pallii lobos omnino patent; minus vero in trachea branchiali, quemadmodum in Hypogaea, reconduntur.

Ex fibula musculosa praedicta, quae characterem essentialem hujus Generis constituit, genericam denominationem desumpsimus; graecam namque vocem *περονη*, *perone*, fibulam significare notum est (1).

Regionis hujus mare multiplices alit Tellinarum species, quas idcirco more nostro recensere, atque impigre perscrutari suscipiemus.

* Ovatae compressae.

TELLINA PLANATA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1117.

Ital. *Tellina piatta*. Neapol. *Spatella*. Germ. Die Scharfrandige Tellmuſchel. Angl. *Plain Tellen*.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCCLXXXVI, Fig. 233.

Born *Test. Vindob.* Tab. II, Fig. 9. *T. XIV.*

Testae characteres. Testa ovata, ampla, valde compressa, glabra, antice atte- *Fig.* 1.
nuata, flexuque insignita, margine acuto; transversim levissime striata, tenuique epidermate in ambitu obducta.

Testae descriptio. Testa ovata, satis ampla, atque admodum compressa, postice rotundata, antice (2) vero aliquantulum attenuata, flexuque generico distincta. Valvae striis transversis tenuissimis, atque longitudinalibus vix conspicuis exornantur. Tegit ipsas arcte in ambitu marginali epiderma exilissimum nigrescens, vel luteum. Margines acuti, scindentes. Earum cavitas colore dilute miniaceo ut plurimum offunditur per testam albam exterius translucente. Cardo generis, ut adparet ex Fig. 2 Tab. XIV. Dentes laterales nulli. *Fig.* 2.

Fig. 1 ipsam mediocris magnitudinis e latere ostendit; Figura vero 3 e parte *Fig* 1, 3.
dorsi. Variat ob latus anticum plus minusve sinuosum, et ob miniaceam disci maculam saturatiorem.

Historia. Etsi Tellinae Planatae, aeque ac congeneres, arenosum solum colant, alte tamen prae ceteris in illo delitescunt. Quare conchytis eas inde extrudere nitentibus magnum negotium facessunt; siquidem amplam fossam duorum circiter pedum altitudinis effodere oportet ad illas attingendas. Saepe autem, dummodo insidiis vacent, ad arenae fastigium tracheis suis adsurgentes, bina foramina exigua more suo inibi efficiunt, quo ipsas eo loci latere intelligitur. Occurrit interdum in vivario tracheas longitudine praestantes conspicere e memoratis foraminibus partim eductas, atque arenae superstratas; et modo hac, modo

---

(1) Conferatur Caput II, Part. II *Introductionis* pag. 29.

(2) *Anticam* conchae partem eam dicimus, quâ tracheae exeruntur; *posticam*, quâ pes educitur.

illac sese flectentes ad libitum animantis: quod insidias forte sentiens, eas extemplo intus retrahit, et dicto citius latebrae fundum petit, nonnisi magno labore, ut jam monuimus, attingendum.

Quamvis Tellinae, de quibus agimus, Mare Siculum, Tarentinumque Sinum colant, nullibi tamen adeo abunde proveniunt quam in plaga illa Crateris Neapolitani, quae *Pietra del pesce* vulgo nuncupatur. Ibi cum Tellina Fragili, atque Venere Florida promiscue degunt, quâ ad quindecim circiter pedum altitudinem aquae fastigium adsurgit. Rastro, reticuloque capiuntur; idque nonnisi aestivo tempore perfici posse lege sancitum est.

Earum carnes ob acrem, quem palato ingerunt saporem, nonnisi ab iis exquiruntur, qui hujusmodi cibis sitim provocare student, vino tantum immodico extinguendam. Ipsae tamen, perinde ac carnes reliquarum Tellinarum, magnam continent arenae copiam, tracheis, branchiis, aliisque corporis partibus adhaerentem. Idcirco et longa mora in vivario, ubi arenam illam ultro expellunt; et reiterata lotione eas repurgare oportet priusquam obsonium ex iis conficiatur.

Mollusci characteres. Peronaea (Cristata) tracheis praelongis, exilibus, leviter
T.XIV. annulatis; summo pallio dupliciter cirrato; ad trachearum radices hinc inde cristata.
Fig. 4. Inspice Fig. 4 Tab. XIV.

MOLLVSCI ANATOME.

Peronaeam Cristatam conchae suae adhaerentem, tracheis, pallii limbo, ac pe-
Fig. 1, 4. de ab ea eductis, atque distentis, e natura effingit Fig. 1 Tab. XIV. Fig. 4 eamdem supinam exhibet e concha avulsam, musculo fibulari *aa* in medium amputato. *bbcc* est pallium subfuscum, circumundique cirratum, sicuti in Fig. 1 adparet: cirri exilissimi, teretes, versus trachearum radices sensim ampliores; plerumque contracti, et nonnisi aegre conspicui. E regione autem trachearum binae aliae insunt cirrorum series interiores, admodum breves, atque longitudina-
Fig. 4. les, quas ad *dd, ee,* in Fig. 4 conspicere licet. Cirri, qui limbum exornant, microscopio perspecti alterne majores esse cernuntur; atque e singulis minoribus juxta musculi fibularis radices utrinque digestis, totidem vascula exilissima, ramosa, ac identidem anastomosibus inter se mutuo coëuntia, oriri videntur, quae deinceps super pallii membranam elegantissime perreptant. Quemadmodum mi-
Fig. 6. croscopii adminiculo oculis subjiciuntur, in Fig. 6 secus *mm, nn* exhibentur. Super reliquam ejusdem membranae partem vasa lactea in ramulos diremta, ut ad
Fig. 4, 6. *ff, g, g,* in Fig. 4, hac illac perreptare conspiciuntur. *hh* (Fig. 6) est musculus fi-

bularis e limbo pallii procedens, valvisque utrinque adfixus in statu naturali; pallii lobis simul jungendis, valvisque ad se mutuo adducendis (simul cum adductoribus propriis) destinatus: in sui medio recisus sub litteris *a a* in Fig. 4 exhibetur. *T. XIV.* *Fig.* 4.

Ab antica pallii regione binae tracheae inaequales *i*, *k*, ortum ducunt, quae dum omnino exeruntur (quod frequenter in vivario conspicere occurrit) duplicem conchae longitudinem adaequant, quemadmodum Fig. 1 repraesentat. Interdum etiam longe proceriores evadunt; Peronaeam namque cunctis aliis Molluscorum generibus trachearum longitudine praestare cognovimus. Earum superior *i* longior, ampliorque, est trachea pallii proprie dicta; inferior vero *k* branchialis [1]. Ipsarum fabrica ex Figura 7, naturali magnitudine longe ampliori, perspicue intelligi potest. Enimvero fistula intima *l* cartilagineam indolem gerit, annulisque compingitur *m*, *n*, *o*, etc., arcte simul coalescentibus. Circumambit ipsam proxime fibrarum muscularium ordo *p* juxta ejus longitudinem excurrens; isque demum obtegitur a tunica pariter musculosa *q q*, striis annularibus exilibus, sulcisque in longum undique exarata. *Fig.* 4. *Fig.* 1. *Fig.* 7.

Singulae radices hujusmodi trachearum binis musculis retractoribus communiuntur; quorum artificiosa compages ut plane intelligatur scire oportet, binos retractores majores A, A, ad tracheam pallii praecipue spectantes, ac in ventilabri formam expansos, valvarum cavitati hinc inde adnasci, quemadmodum in situ naturali ad BB in Fig. 4 cernere licet. Hi porro anteriora versus C C valde angustati, inque binas tendineas propagines *a*, *a*, *c*, *c*, utrinque divisi, ambarum trachearum orificia inferiora *e*, *e* sphincterum ritu in ambitu complectuntur. Insuper e trachea inferiori D alterum oritur par *i*, *i*, exilium musculorum, quorum tendines cum retractorum majorum A, A tendinibus coalescunt, et cum ipsis commiscentur, ut Figura ipsa ostendit. Ex quo plane intelligitur ambas tracheas hujusmodi musculorum contractione in concham retrahi pro lubitu animantis, quum ipsae eodem simul tempore tunicis suis muscularibus, quas supra innuimus, contractis brevissimae fiant; annulisque ad *m*, *n*, *o*, etc., conspicuis coarctentur. Ima pars tracheae pallii binis veluti fimbriis *r*, *r*, utrinque exornatur. *Fig.* 7. *Fig.* 4, 7. *Fig.* 4.

Ad ceteras Peronaeae partes clare intelligendas, eam sinistrae valvae adnatam, dextera mordicus avulsa, in Fig. 5 e latere effinximus. A, B, sunt musculi valvarum adductores transversim amputati. Hos in situ naturali ad *s s*, *t t*, in Fig. 4 exhibuimus. C (Fig. 5) est abdomen contractum, pedeque D instructum, quod in Fig. 15 seorsim delineavimus partim dissectum, ad musculos obliquos *Fig.* 5. *Fig.* 4. *Fig.* 5. *Fig.* 15.

(1) Vide Cap. V Partis II *Introductionis*, pag. 52.

abdominales *aa*, *cc*, perinde ac funiculares, sive transversos *ee*, cutemque *mn* cunctos obtegentem, perspicue repraesentandos.

T.XIV. Fig. 5. Secus abdominis latera branchiae hinc inde excurrunt per paria inaequales, apicibus suis prope tracheae branchialis radicem *x* coalescentes. Dexteros earum lobos ad *bb* conspicere licet.

Fig. 5. Fig. 8. Imo abdomini proxime subest os *c* labiis ovatis, amplis, transversimque striatis *m*, *m*, utrinque insignitum. Idem cum gula A (Fig. 8), ingluvieque *bc* in longum dissecuimus, atque lente paullo amplificavimus, ad pylorum *e*, ductusque biliarios 1, 2, 3, patefaciendos, per quos bilis ex hepate in ingluviem excernitur. Fistula conica *gh*, transversimque crispata, medio dissepimento longitudinali in duplicem discriminatur, quarum altera thecam constituit stili crystallini in ingluviem intrusi, ut supra dictum est [1], atque alibi cumulatius demonstrabimus [2]; altera vero est intestinum jejunum. Stilus praedictus *r* cum sagitta tricuspide *s* illius apici incumbente, eademque *t* microscopio adaucta, in Fig. 9, et 10 seorsim delineatus adparet. Intestino jejuno *gh* reliquus succedit intestinorum tractus *iklm*, qui ultra fidem longissimus, ac multifariam implexus, haud secus quam in icone 8 e natura delineatum expressimus [3], desinit tandem in rectum *nop*. Intestinum hoc pone musculum valvarum adductorem A (Fig. 5) praetergressum, flexu denique *op* evadit in amplum saccum, e pallii velabro hinc inde producto conflatum; quem transverse dissectum in Fig. 5 sub littera *i* conspicere juvat. In sacculum hunc intestinorum excreta in primis ingeruntur; mox in tracheam branchialem *vv* illuc influentem illata, per ipsam eliminantur. Forma, qua gaudent, per intestina ipsa translucens, ut Figuram 8 inspicientibus liquet, totidem cylindros, alios super alios seriatim aggestos, aemulatur.

(Margin notes beside the paragraph above: Fig. 9. — Fig. 9, 10. — Fig. 8. — Fig. 8. — Fig. 5.)

Fig. 5. Mollusci dorsum obtinet hepar *y*, ventriculum, atque intestinorum partem sub se fovens, opportunoque tempore obductum ovario. Ad ejus fabricam probe intelligendam, Figuram 12 intueri juvat, in qua folliculorum congeries *aaa*, ex quibus componitur, microscopio amplificata ostenditur, aeque ac ovarii propagines fistulosae translucentes *b*, *c*, *d*, *e*, *f*, etc., ovis infartae super ipsum perre-

(Margin note: Fig. 12.)

---

(1) In Anatome Hypogaeae Verrucosae, pag. 46.

(2) In Anatome Mollusci Mactrae Glaucae.

(3) Quantum temporis, atque laboris in hujusmodi intestinorum flexibus investigandis in toto Operis hujus curriculo impenderimus, ii solummodo cognoscent, quos huic indagini manum admovere haud pigebit. Nobis in molesto hoc molimine hydrargyrum suppetias tulit, quippe ipsum in intestina injectum in Daedaleo labyrintho filum Ariadnaeum suppeditavit.

ptantes, atque communi tegumento *mn* partim obtectae; quum reliqua istius pars caute avulsa supponatur ad fabricam praedictam clarius perspiciendam. In aliis praegnationis stadiis ovarium haud aliter conspiciendum se se offert quam a Fig. 11 repraesentatur. Ova pedunculata, microscopio acutissimo adaucta, in Fig. 13 cernere est. Ovarium, de quo agimus, rigente hyeme est adeo contractum, ut minus conspicuum fiat: mense Julii exploratum ovis maturis turgescere deprehendimus. *T. XIV. Fig. 11. Fig. 13.*

Proxime hepati imminet thorax, ubi cor sub pericardio delitescit. Est cor ipsum exile, ovatum, uniloculare, auriculisque instructum, ut in ceteris Molluscis hujus Ordinis. Patet id ex Fig. 14, ubi cor *a* aliquanto amplificatum seorsim delineavimus, auriculis *i*, *i*, insignitum, in quas binae venae branchiales *cc*, *ee*, immittuntur, in propagines pectinatas *mn*, *mo*, *rs*, *rt*, hinc inde discriminatae. Hae ceterorum hujusmodi Molluscorum ritu, eademque prorsus ratione, quae in Figura adparet, in branchiarum lobis disponuntur. *v*, *x*, sunt binae aortae, quarum posterior *x* abdomen pervadit, cunctasque partes subit ad ipsum pertinentes; anterior vero *v* ad musculum adductorem anteriorem, pallium, atque tracheas pergit in complures propagines distincta. Ob summam partium fragilitatem earum progressus nullo pacto prosequi datum est. *Fig. 14.*

Tandem musculo adductori anteriori cisterna lactea superincumbit, cujus propagines ut in ceteris distribuuntur. Quae super pallii velabrum repere conspiciuntur, secus *ff*, *gg* in Fig. 4 adparent. *Fig. 4.*

Peronaeae anatomen a nullo Auctore institutam novimus. Quae de Tellinarum aliquot vermibus egregii viri Réaumurius [1], et Basterus [2] in medium proferre conati sunt, exteriorem dumtaxat quarumdam partium formam leviter attingunt, sicuti eorum tentamina inquirentibus planissime liquebit.

TELLINA EXIGVA.

Ital. *Tellina piccinina*. Neapol. *Spatelluccia*.

Testae characteres. Testa ovata, depressa, tenuis, exigua, antice paullo attenuata, striis vix conspicuis transversim distincta. *Tab. XV. Fig. 15.*

Testae descriptio. Eaedem quae Tellinae Planatae sunt ipsi adfectiones, si magnitudinem excipias, qua illa longe praestat; Tellina quippe Exigua raro Fig. 15 amplior evadit, ideoque nisi varietas speciei observationibus aperte constaret; *Fig. 15.*

(1) *Mémoir. de l'Acad. des Scienc.* An. 1710.

(2) *Opusc. subsec.* tom. II, lib. 2, pag. 75.

variique sui colores, natalisque loci diversitas id magis confirmarent; merito suspicari posset pro Tellina Planata juniori eam esse accipiendam.

Variat colore albo, flavo, vel roseo: quibus coloribus aeque frequenter illas refulgere comperimus.

Historia. Ora maritima Urbis Neapolis, *Spiaggia di Chiaja* vulgo dicta, maximam gignit hujusmodi Tellinarum copiam, qua aquae ad decem circiter pedes supra arenosum solum assurgunt. Ipsae tamen vix ad unum pollicem sub illo reconduntur. Trinacriae pelagus, sinumque Tarentinum eas pariter ferre novimus licet parciores. Ob insignem carnis inopiam inter epulas non numerantur. Idcirco pro curiosorum Museis ditandis, floribusque artificiose compingendis et colligi, et usurpari solent.

T. XV. Fig. 15, 17. Tellinae hujus effigiem, Mollusci pede, tracheisque distentis, exhibet Fig. 15 Tab. XV. Eamdem a parte dorsi in Fig. 17 cernere licet.

Molluscum in ipsa reconditum ad Peronaeam Cristatam referri debet, quam a Tellina Planata contegi demonstravimus.

TELLINA INCARNATA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1118.

Ital. *Tellina Incarnata*. Germ. Die Kleine Sonnenstrahl. Belg. *Rood Juffertje*.

Angl. *Carnation Tellina*.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXXVIII, Fig. M.

Fig. 1. *Testae characteres*. Testa ovata, valde compressa, rubicunda, nitida, antice mucronata, radioque uno vel altero albescente in longum distincta.

Testae descriptio. Testa ovata, valde compressa, tenuissima, nitidaque. Valvae rubicundae, postice rotundatae, antice vero attenuatae, atque in mucronem acutum desinentes: haud procul ab ipso, radio altero pallidiore, interdum binis, interius etiam conspicuis, distinctae. Margines acuti; dentes laterales nulli.

Testam hanc nostri maris indigenam, minus autem frequentem, jugiter inanem invenimus. Idcirco nullam Mollusci sui notionem adhuc consequi potuimus.

TELLINA NITIDA.

Ital. *Tellina Nitida*. Neapol. *Spatelluccia*.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXVII, Fig. H.

Fig. 2. *Testae characteres*. Testa ovata, valde depressa, nitidissima; striis exilissimis, zonisque alternis lactescentibus transversim distincta.

microscopio perlustrata longe diverso articulationum numero gaudere conspiciuntur, ut infra demonstrabimus. Nihilominus his omnino sepositis, pro faciliori characterum investigatione, e patentibus conchae adfectionibus ipsos derivare juvabit.

Mollusci characteres. Triton (Inermis) tegumento membranaceo subtetragono, pedunculato, striis atris flexuosis, et valvulis quinis exilissimis, remotisque, distincto.

MOLLVSCI ANATOME.

Quum Tritonis Inermis fabrica eadem prorsus sit ac Hispidi, vel Purpurei, quam supra fuse explicavimus, hic nonnisi tegumenti structuram, atque adfectiones, aeque ac articulationum numerum in tentaculis, ob quas solum differt ab illo, declarandas suscipiemus. Sacculus itaque coriaceus, pedunculatus, totum Tritonis corpus circumplectitur. Valvulae quinque testaceae, exilissimae, a se invicem remotae, tum rimae oram, tum etiam summam sacculi partem, ac dorsum vix opportune tuentur; et adeo arcte illi adhaerescunt, ut nonnisi aegre cultri adminiculo exinde divelli queant. Quae sit earum forma jam antea disseruimus.

Tegumentum hujusmodi coriaceum tribus partibus constare deprehendimus, ut de Tritone Hispido monuimus. Omnium extima est membrana coriacea, satis firma, licet exilissima, et adeo luci pervia, ut vitrea diceretur. Subjacet ei proxime, adhaeretque, membrana altera tenuissima, ac fragilissima, ipsam obvestiens usquequaque. Haec striis tribus, atris, flexuosis, per membranam extimam transparentibus, utrinque distinguitur; quarum posticae secus animalis dorsum simul junctae, in unam coëunt, usque ad pedunculi talum productam. Striae hujusmodi microscopio contemplatae, ex vasculis exilissimis reticulatis contextae cernuntur; quae vascula levi confricatione penitus labefactantur. Membranae huic, quâ pedunculus late patet, adjacet proxime elegantissimus musculorum ordo: sunt hi filiformes, erecti, paralleli, pedunculum universum quasi vallo circumsepientes.

Pedunculi hujus cavitatem replet interdum substantia glutinosa caerulea, quam Ovarium contractum esse non ambigimus: at praegnatione procedente, magno ovorum acervo, colore laete fulvo nitentium, completam deprehendimus; quae musculorum praedictorum ministerio sursum projecta, circum ani-

mantis dorsum mirabili prorsus ordine disponuntur, ut de Tritone Purpureo demonstravimus, donec tandem ad perfectam maturitatem perducta, per sacculi rimam in mare expellantur.

Tab. VI. Fig. 22. Fig. 22 Tab. V sacculum jam descriptum exhibet a parte antica in longum dissectum, quo et membrana coriacea *ab*, et interior *cdef* illam obvestiens, et musculorum rectorum series *m* in pedunculo inclusa, palam fierent: *n* est ovarium, Tritonis dorso incumbens. *g*, *h* duplicem valvam superiorem; *i*, *k* ambas anteriores rimae limbo respondentes, repraesentant.

Tritoni huic duodecim sunt tentaculorum paria, ut de ceteris dictum est; eademque simul est eorum fabrica. Sunt ipsa aeque crassa ac in Tritone Hispido, at longe breviora; et articulationum numerus est hujusmodi. Sex paria primora 15 articulationibus gaudent; duplex, quod consequitur, 13: quod his proxime subest, in superiori tentaculo 10, in inferiori 9 articulationes gerit. Omnium infima, tentaculis pariter inaequalibus praedita, in summo 7, in imo vero 9 articulationibus instruuntur. Fig. 13. Fig. 13 sex tantum exhibet tentaculorum paria altero lateri adnata: opposita consulto omisimus, ut de Tritone Hispido monuimus.

LEPAS LEPORINA.

Ital. *Lepade Leporina*; *Testa di Lepre*. Angl. *The naked fleshy Barnacle with ears*.

Seba *Thes.* tom. III, Tab. XVI, Fig. 5 hinc inde.

Fig. 21. *Lepadis characteres*. Lepas sacculo coriaceo, subovato, ventricoso, pedunculato, gemina appendice fistulosa, et valvis quinis minimis sparsis, communito; lineis aliquot fuscis secus pedunculum notato.

Lepadis descriptio. Lepas hujusmodi parum differret a Lepade Coriacea, nisi gemina appendice fistulosa in summa sacculi parte foret exornata; quae ipsam capiti leporino quodammodo similem reddit. Differt iterum ob valvularum testaFig. 20, 21. cearum formam, atque magnitudinem, sicuti ex comparatione Fig. 20 cum 21 perspicue patebit; hae namque ad *r*, *s*, *t* seorsim delineatae, sunt longe minores ac in Lepade Coriacea. Differt demum ob strias nigrescentes, summam tantum pedunculi partem exornantes, quum sacculus illi incumbens punctis fuscis confertissimis distinctus videatur. Ceterum et Triton inibi reconditus, et tegumenti fabrica, penitus inter se conveniunt, eademque simul historia spectat utrumque.

Concha ista est certe varietas Lepadis Auritae Linnaei, tum ob pedunculi longitudinem in ista multo majorem, tum ob omnem striarum nigrescentium, valvarumque exteriorum defectum; tum denique ob octo testaceos denticulos ad formam coni secus interiorem rimae marginem digestos. Lepadem hujusmodi Au-

vissimis in transversum distinguuntur, ad rostri inferiora elatioribus. Dentes laterales alterius valvae prominuli, atque acuti.

Tellinam istam naturali magnitudine paullo majorem dedimus in Figura 8; *Tab.XV. Fig. 8.* Tab. XV, quo ejus forma, atque qualitates luculentius adparerent. Testam inanem invenimus, obque illius insolentiam Molluscum in ea reconditum adhuc pervestigare non licuit.

Habitat in mari Siculo, Tarentinoque sinu; at satis infrequenter, et nonnisi fortuito invenitur. *Tellinae Rostratae* Linnaei quam proxime eam accedere quisque videt; ac nonnisi juniorem esse arbitramur.

TELLINA DISTORTA.

Ital. *Tellina Storta.*

Testae characteres. Testa ovata, nitida, compressiuscula, transversim stria- *Fig. 11.* ta, postice rotundata, antice paullo attenuata; dextera valva planiore, flexuque elevato distincta.

Testae descriptio. Testa exigua, ovata, nitida, paullo compressa, postice in marginem rotundum, antice vero in angulatum, arctioremque desinens. Latus anticum inflexum, alteroque brevius. Sinistra valva gibbosior dextera, quae magis flexa in antico latere, sinu in longum elevato prope illius marginem communitur. Tota concha transversim striata roseo colore micat, radiisque albis plurimis ab apice ad marginem excurrentibus distinguitur. Dentes cardinis laterales prominuli, acuti.

Concha haec *Tellinae Rostratae* multum adsimilatur; at illa oblongior, magisque compressa, in rostrum antice producitur: valvae utrinque aeque gibbosae ad alterum latus non flectuntur.

Ad *Tellinam Donacinam* Linnaei proximius accedit; unde nonnisi illius varietatem esse existimamus.

Concham inanem legimus, ideoque Mollusci naturam adhuc ignoramus. Et quamvis utriusque Siciliae pelagus inhabitet, maximum sui desiderium facit, ac nonnisi fortuito invenitur.

TELLINA INAEQVIVALVIS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1118.

Ital. *Tellina a valve disuguali*. Germ. Die Baſtardtelline. Belg. *Platzydige Telline.*

Testae characteres. Testa margaritacea ovato-falcata, antice attenuata; val- *Fig. 9.* va altera convexiuscula, altera plana.

Testae descriptio. Testa ovata depressiuscula, postice rotundata, antice attenuata, desinens fere in mucronem; margine inferiori falcato, flexuque generico distincto. Valvae margaritaceae, transversim obsolete striatae, crusta albida extrinsecus obducuntur adeo levi, ut vel digitis confricata tota fere abradatur: sunt ipsae porro inaequales; sinistra convexiuscula, dextera plana: margines acuti. Cardo dentibus binis linearibus gaudet in singulis valvis, ad angulum acutum di-
T. XV. varicatis.

Fig. 9. Fig. 9 Tab. XV sinistrum latus, seu valvam planam hujus conchae oculis
Fig. 5, 6. subjicit; Fig. vero 5 latus alterum, seu valvam convexam. Postremo Fig. 6 eamdem concham exhibet a parte dorsi.

Historia. Tellinam hanc nonnisi in sinu Cumano hospitari fatemur, quâ aquae vix trium pedum altitudinem aequant. Obruit illas arena tres circiter pollices desuper aggesta. Raro admodum, et nonnisi fortuito inter alia Testacea a Conchytis leguntur.

Fig. 7. *Mollusci characteres. Hypogaea* (Gibba) tracheis binis coalescentibus, brevissimis; pede ovato, compresso, brevi.

Hypogaea haec altero sui latere cavae valvae adhaerescit, altero planae: inde ipsam *Gibbam* vocare constituimus.

MOLLVSCI ANATOME.

Fig. 7. Hypogaeam Gibbam concha sua exemtam in Fig. 7 Tab. XV repraesentavimus paullo amplificatam, ut quaedam ejus partes luculentius paterent. *a a* est pallium abiens superius in geminas tracheas *c*, *c* perbreves, subfuscas, cirris densis circumclusas. Per inferum ejus hiatum pedi rotundato *i*, compresso, brevi, exitus patet. Branchiae *s s*, hic per pallium translucentes, in tracheae branchialis fistula, Hypogaearum more, reconduntur. Os abdomini subest ut in reliquis. Rectum intestinum *b* legit de more dorsum animantis. Reliquam intestinorum partem cum ventriculo jecur *e* in suo sinu fovet; eique ovarium constratum deprehenditur. *r*, *r*, musculos ostendunt valvarum adductores. Circulationis vias ob insignem animantis gracilitatem nullo pacto adire, atque enucleare facultas fuit.

* * Ovatae crassiusculae.

TELLINA GARI.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1117.

Ital. *Tellina del Garo*. Neapol. *Lattero*. Gall. *Telline bariolée de violet, et de blanc.*
Germ. Die Bakassanmuschel. Belg. *Bacassan doublet.*

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCCCXVII, Fig. 261.
Rumph. *Thes. Amboin.* Tab. XLV, Fig. D.
Argenville *Conch.* Tab. XXI, Fig. I.
Born *Test. Vindob.* Tab. II, Fig. 6, 7.

Testae characteres. Testa ovata, subaequilatera, ventricosa, glabra, hinc inde rotundata, annotinis accessionibus in transversum insignita, in longum vero radiata: dentes laterales nulli. *Tab. XV. Fig.* 19.

Testae descriptio. Testa ovata, ampla, convexiuscula, subaequilatera, glabra. Margines laterales rotundati; at anticus polygoni flexus quodammodo imitatur; hincque concha leviter hiat. Valvarum striae transversae vix conspicuae; annotinae autem accessiones illas veluti striatas reddunt. Apices exigui vix prominentes, approximati: dentes laterales nulli. Epiderma tenue, crispatum, nigricans, e Mollusci pallio derivatum, adeo conchae margini adhaerescit, ut nonnisi impigro molimine atteratur. Tota concha radiis alternis violaceis, atque dilute flavis depicta cernitur: intus ex violaceo albescit. Vix effigie sua, quam Fig. 19 Tab. XV ostendit, adultior evadit. *Fig.* 19.

Variat ob radios violaceos amplissimos, saturatioresque; ob radios flavescentes exiliores; et ob maculas candicantes nullo ordine super illos conspersas.

Tellinam hanc, quam e latere delineatam dedimus in Fig. 19, dorso suo oculis obverso repraesentavimus in Fig. 21. Valvas insuper in Fig. 23 aliquantum diduximus ad conchae cavitatem, ejusque cardinem oculis subjiciendum. *Fig.* 19. *Fig.* 21, 23.

Historia. In arenosis Castro Lucullano, vulgo *Castel dell'Uovo*, subjectis, simul cum Venere Verrucosa gregatim vivit. Vix ad pedem unum arenam subit, quâ tres circiter passus aequor adsurgit. Ceterum in mari Siculo, in sinu Tarentino, atque alibi aeque frequenter invenitur. Ejus caro laudatissima postquam ab arena detersa; praecipue vero apud Indiae gentes, quae aceto, atque aromatibus ipsam condientes, cibi genus conficiunt patrio idiomate *Beccassan* dictum, veterumque Romanorum Garo (1) simillimum; de quo sic ait Martialis lib. VII, ep. 26.

(1) Hinc concha, de qua agimus, apud Conchyliologos *Gari* cognomen obtinuit.

Sed coquus ingentem piperis consumet acervum;
Addet et arcano mixta Falerna garo.

Peculiare hoc liquaminis, seu salsamenti genus, testante Plinio [1], ex intestinis piscium, ceterisque, quae abjicienda essent, sale maceratis componebatur. Hoc olim e pisce, quem Graeci *γαρον, garon,* vocabant, conficiebatur; deinde nomen retinuit quamvis ex aliis piscibus fieret, praecipue vero ex scombro; quod erat laudatissimum: unde iterum Martialis lib. XIII, epigr. 102 sic ait:

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe faecosum, munera cara, garum.

Horatius quoque lib. II *Serm.* satyr. VIII, vers. 45:

His mixtum jus est oleo, quod prima Venafri
Pressit cella: garo de succis piscis Iberi.

Sociorum id appellabatur, singulis millibus nummûm permutantibus congios fere binos. Nec liquor ullus paene, praeter unguenta, majore in pretio esse coepit nobilitatis etiam gentibus. [2]

Mollusci characteres. Peronaea (Varia) tracheis binis praelongis, leviter an-
T. XV. nulatis, divisis; summo pallio simpliciter cirrato; pede lanceolato; ad tracheae
Fig. 19. radices cristae nullae. Inspice Fig. 19. Tab. XV.

Peronaea haec etiam ob internarum partium fabricam Peronaeae Cristatae adsimilatur. Variat dumtaxat ob summum pallium simplici cirrorum ordine insignitum, et ob cristas nullas ad tracheae radices.

TELLINA TOGATA.

Ital. *Tellina Togata.*

Fig. 20. *Testae characteres.* Testa ovata, ventricosa, in longum radiata; epidermate spisso, nitidoque, extra marginem circumundique prominente, obducta.

Testae descriptio. Testam ovatam, ventricosam, inaequilateram tegit usquequaque epiderma validum, maxime nitidum, coloris fusci. Adhaeret ipsum strenue conchae universae; at ultra valvarum margines unam alteramve lineam circumcirca protensum, libere fluctuare conspicitur; unde testam *Togatam* cognominavimus. Concha e mari subducta, ac epidermate arescente, ora hujus modice contrahitur, atque subinde discinditur. Radii aliquot flavi, quibus utraque valva in longum ornatur, per ipsum conspicui fiunt. Cardo dente gemino (altero

---

(1) *Hist. Nat.* lib. XXXI, cap. 7. (2) Ibid. cap. 8.

in altera valva), compingitur: uterque laminiformis, tenuis, leviter incurvus, basi sua disci cavitati oblique adnatus (1).

Perraram, ignotamque adhuc hujusmodi concham (cujus generis duas tantum vidimus (2), inque Museo nostro adservamus) Mollusco prius exemto nobis attulit conchyta. Itaque illius naturam ignoramus: neque ipsam iterum consequi facultas fuit, licet impigre, cunctisque modis conchytarum auri famem lacessere studuerimus.

TELLINA PAPYRACEA.

Ital. *Tellina Papiracea.*

Testae characteres. Testa ovata, ventricosa, aequilatera, fragilissima, striis exilibus in transversum insignita: ad cardinem dentes nulli. *Tab.XV. Fig.* 18.

Testae descriptio. Testa ovata, satis convexa, aequilatera, antice paullo depressa, striis exilissimis in transversum praedita. Cardo dentibus nullis communitur; at conchae margo eo loci singulari ratione inflectitur, protenditurque intra concham, ut in Fig. 14 ad *a* expressum vides (3). Tota concha ultra modum tenuis, *Fig.* 14. atque fragilis, lacteo candore nitet; unde eam adhuc ignotam *papyraceam* appellavimus. Inanem ipsam legimus simul cum praecedenti; atque ideo Mollusci naturam, aeque ac praecedentis, omnino ignoramus.

TELLINA FRAGILIS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1117.

Ital. *Tellina Fragile.* Neapol. *Cacasangue.*

Testae characteres. Testa ovata, ventricosa, antice attenuata, striis paullo ele- *Fig.* 22. vatis asperiusculis transversim exarata; umbonibus dilute miniaceis.

Testae descriptio. Testa ovata, tumida, postice rotundata, antice valde attenuata, ac fere in mucronem desinens. Striae valvarum transversae leviter undulatae, dum digitis contrectantur scabritiem aliquam praeseferre sentiuntur. Valvae albescentes colore dilute miniaceo, vel croceo inaequaliter suffunduntur, qui

---

(1) Nisi character Solenum essentialis conchae huic omnino deesset, ipsam utique inter Solenes conscriberemus, quibuscum maxime convenire videtur: at quoniam ipsa nulla in parte hiare deprehenditur, inter Tellinas recensere maluimus, quarum habitum quodammodo refert, et quarum cardinem varietatibus obnoxium esse jam supra monuimus.

(2) Earum altera in Cratere Neapolitano, altera in Sinu Tarentino inventa fuit.

(3) Licet dentes nulli ad cardinem, totius conchae habitus, flexusque genericus in latere antico, ipsam inter Tellinas cooptandam esse ostendunt.

in umbonibus praesertim, atque in conchae cavitate saturatior efficitur. Mollu-
Tab.XV. sco in ea adhuc vivo tota concha leviter purpurascit; umbones colore purpureo
Fig. 22. saturatiore, flavoque micant. Vix magis adolescit quam in Fig. 22 Tab. XV ex-
Fig. 24. pressum vides. Ipsam a parte dorsi exhibet Fig. 24.

Historia. Simul cum Tellina Planata, Venereque Florida gregatim ali deprehendimus secus oram maritimam urbis Neapolis prope locum dictum *Pietra del Pesce*, ad viginti circiter pedum altitudinem mari adsurgente. Ejus carnes sapidissimae ad juscula paranda a quibusdam usurpantur.

Mollusci characteres. Molluscum Tellinae hujus ad Peronaeam Sanguinolentam referri debet, sicuti ex modo dicendis luculenter patefiet.

MOLLVSCI ANATOME.

Tellinam Fragilem Mollusco suo adnatam, illiusque tum pede, tum tracheis di-
Fig. 22. stentis in Fig. 22 Tab. XV ad vivum intueri licet. Tracheae transversim rugosae sanguineo humore identidem suffunduntur. Cirri in trachea branchiali vix lente conspicui; in altera nulli. Trachea branchialis diversimode coarctata, reiteratisque conatibus velociter faeces expellit. Trachea pallii penitus distenta, quinquies saltem longior concha, et satis ampla: amplitudo fere sesquialtera quam in Figura. Musculi trachearum retractores iidem ac in Peronaea Cristata, atque Sanguinolenta, perinde ac fibularis. Pallium undique cirratum; ejusque membrana sacculo gemino, sanguineo humore turgido, hinc inde insignitur, unde humor ille in varias corporis partes identidem diffluit ad libitum animantis; sicuti de Hypogaea Hirudine, ac Peronaea Sanguinolenta supra dictum est. Pes lanceolatus, exiguus, raro educitur; frequentissime humore sanguineo valde saturo suffunditur perinde ac reliquae partes, ne abdomine quidem excepto. Abdomen mense Junio ob ovorum turgescentiam fere globosum. Ovarium ut in reliquis, perinde ac jecur valde amplum. Labia maxima, ovata, striisque distincta, ut in Peronaea Sanguinolenta. Branchiae sanguineo humore suffusae, apice coalescentes. Faeces disciformes ut in ceteris Tellinarum Molluscis.

TELLINA POLITA.

Ital. *Tellina Levigata*. Neapol. *Tonninola Cantarana*.

T. XXI. *Testae characteres*. Testa ovato-oblonga, ventricosa, antice porrecta, rotunda-
Fig. 14. ta, postice attenuata; laevis, nitidissima; radio altero lato flavescenti in longum distincta; intus violacea.

Testae descriptio. Testa ovata, in transversum porrecta, tumens, inaequilatera, laevis, atque nitidissima. Latus anticum, altero longe brevius, ea ratione coarctatur, ut in mucronem prope desinat; posticum rotundatum. Valvae perpolitae, atque onycis instar nitidissimae, colorem reddunt subfulvum maculis exiguis flavis, praecipue ad umbones, distinctum. Ab apicibus vero ad marginem radius pyramidalis, latus, atque flavescens exporrigitur, qui hinc inde macula subrufa veluti definitur. Saepenumero stria subcyanaea valvas in transversum decorat. Maculis laete violaceis intrinsecus nitet. Apices tenuissimi. Cardo: in valva altera dens unicus primarius apice bifido; scrobs oblonga in latere postico: in altera vero dentes primarii bini, inter quos ille inseritur; dens anticus crassus, obtusus, denti primario basi sua adnatus; denticulus subremotus in latere postico, in scrobem praedictam se infigens.

Fig. 15 Tab. XXI Concham istam exhibet a parte dorsi. Variat ob colorem usquequaque flavescentem sine radio, linea tantum subcyanaea in transversum notata. Conchae habitus Donaci simillimus; at cardinis forma ad Tellinam magis accedens, latusque anticum minus truncatum, ipsam inter Tellinas conscribendam esse docuerunt. *T.XXI. Fig. 15.*

Historia. Inter Donaces omnigenas promiscue vivit; ipsam tamen ob insignem sui inopiam ipsas nonnisi aegre conquirere licet.

Mollusci characteres. Peronaea (Brevirostris) tracheis binis disjunctis brevibus, crassis, laevibus, cirris simplicibus insignitis; pede lanceolato. Inspice Fig. 14 Tab. XXI. *Fig. 14.*

Ob tracheas paullo breviores, et ob cirros trachearum simplices, a Peronaea Ramosa, quam suo loco describemus, praecipue distinguitur.

TELLINA VARIEGATA.

Ital. *Tellina Variegata*.

Testae characteres. Testa ovato-oblonga, convexiuscula, glabra, radiis roseis, flavisque distincta; margine postico rotundato; latere antico angustato, brevissimo. *Tab.XV. Fig. 10.*

Testae descriptio. Testa ovato-oblonga, paullo convexa, nitida, striis exilissimis in transversum distincta. Latus anticum satis angustatum est longe brevius altero, in marginem rotundatum desinente. Tota concha radiis inaequalibus roseis, atque e flavo albescentibus, ab apice ad marginem deductis, exornatur.

Ad Tellinam Virgatam Linnaei proxime accedit; at rima non hians, neque valvae in longum striatae ut in illa.

Super litus nostri maris fortuito ejectam nonnisi inanem deprehendimus, ideoque testae tantum adfectiones pervestigare potuimus.

*** Orbiculatae.

TELLINA LACTEA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1119.

Ital. *Tellina Lattea*. Neapol. *Lupino*.

Tab.XV. Fig. 28. *Testae characteres*. Testa subrotunda, convexiuscula, transversim leviter striata, apicibus reflexis, ligamento interiori.

Testae descriptio. Testa lentiformis, paullo convexa, semen lupini albi admodum aemulatur. Valvae ineleganter transversim striatae, annotinisque accessionibus distinctae. Umbones tumidiusculi. Apices acuti, reflexi, poneque ipsos areola minima, semilunaris, excavata. Dentes tres in cardine primarii, laterales nulli. Ligamentum exiguum, ovatum, fulvum, interiori valvarum margini adnascitur, neque extrinsecus ullo modo conspicuum, secus ac in ceteris Tellinis. A sordibus detersa lacteo candore nitet, unde nomen desumpsit.

Fig. 28. Concha haec aetate jam integra nunquam major evadit quam in Fig. 28 repraesentatur. Ipsam valvis aliquanto diductis, quo ligamentum *a* conspicuum Fig. 29. redderetur, in Fig. 29 delineatam cernes.

Historia. Idem est ei solum natale ac Tellinae Planatae, Tellinae Fragili, Venerique Floridae, quibuscum promiscue vivit; iisdemque pariter insidiis conchytae ipsam adoriuntur. Sapidae ipsius carnes ad juscula paranda, aeque ac ceterarum Tellinarum, communiter usurpantur.

Molluscum, cui concha isthaec tegumentum praebet, toto caelo ab iis differre deprehendimus, quae ceteras conchas inhabitant. Idcirco novum Genus constituere oportuit; cui *Loripedis* nomen tribuimus. Characteres sui essentiales hi sunt:

Trachea unica fistulosa.

Pes teres, exilis, subulatus, longissimus; lori, vel flagelli formam referens.

Pallii limbus antice coalescens; at hiatu gemino instructus (1), *quorum inferior tracheae, superior autem pedi exerendo addicitur*.

Branchiae semiconjunctae.

Fig. 27. Inspice Fig. 27 Tab. XV.

---

(1) Hiatum medium in Fig. 27 expressum cultri vi fortasse inditum esse suspicamur, ut infra dicemus.

Nominis originem intelliges ex Capite II Part. II *Introductionis*, pag. 31.

Mollusci characteres. Loripes (Orbiculatus) in orbem se se colligens, lacteoque candore conspicuus; branchiis unilobis, labiis nullis. *Tab.XV.*

Inspice Fig. 26 Tab. XV. *Fig. 26.*

MOLLVSCI ANATOME.

Loripedem Orbiculatum concha sua circumclusum, Trachea *m*, pedeque *y* ab ipsa eductis, ad vivum effingit Fig. 28. Eumdem concha exemtum in longum distendimus in Fig. 27: ipsum autem in orbem sinuatum, sicuti conchae adnascitur, in Fig. 26 cernere est; ubi musculum valvarum adductorem inferum *o o* in medio amputavimus ad pallium penitus explicandum. Pallii hujus velabrum tenuissimum est, ac insigniter gracile: limbus *b b* (Fig. 27) crenulatus, ac in ambitu coalescens, gemino patet hiatu; quorum summus *a* tracheae *m* educendae inservit; infimus *c c* pedi: medium *e* nonnisi semel pervium reperimus, et fortasse cultri vi insculptum. Trachea ampla, rugosa. Branchiae *i*, *i*, quae sub iisdem litteris in Fig. 26 explicatae exhibentur, subtetragonae, amplissimae, satis crassae, unilobae, gestationis tempore ovis ultra fidem innumeris completae, per series transversas elegantissimas in loculis branchialibus [1] digestis. Ambae ultra abdomen membrana interposita coalescunt. Labia nulla. Musculi adductores *s*, *n*, *n*, ampli, validissimi. Abdomen *d* (Fig. 26) subtriangulare, depressum, mucrone *r* veluti insignitum tracheam versus inflexo. Summa sui pars in pedem *x* producitur praelongum, teretem, flagelliformem, transverse rugosum, apice clavatum. Ovarium lactescens, ramosum ut in reliquis, cuncta viscera cooperiens. Jecur amplum, racemosum, viridescens, folliculis ovatis conflatum. Circulationis vias ob summam partium tenuitatem explorare haud potuimus. *Fig. 28.* *Fig. 27.* *Fig. 26.* *Fig. 27.* *Fig. 26.*

TELLINA DIGITARIA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1120.

Ital. *Tellina Digitaria; Tellina rigata a guisa di dita.*

Testae characteres. Testa subglobosa, candida, striis sinuosis obliquis in transversum exarata, apicibus minimis. *Fig. 25.*

---

(1) Confer Caput VIII Partis II *Introductionis*, pag. 69, et Anatomen Limnaeae Fuscae, cui Mya Pictorum tegumentum praebet.

Testae descriptio. Testa orbiculata, et fere globosa, lacteo candore conspicua. Valvae striis transversis, sinuosis, obliquis, ac parallelis in transversum distinguuntur, haud secus ac digitorum apices; unde nomen desumpsit. Singulae hujusmodi striae vel levi contrectatione sensibiles, angulum quodammodo efficiunt; iique ea ratione alter alteri imminent, ut seriem veluti angulorum efficiant ab apicibus ad marginem recta protensam. Valvae praeterea annotinis accretionibus in transversum saepenumero discriminantur. Apices perbreves, vix exerti, et acuminati.

Historia. Quam alibi pollicem fere latam vidimus concham, hic nonnisi minimam inter ingentem conchularum congeriem in arena convolutam deprehen-
Tab.XV. dimus. Idcirco ipsam in Fig. 25 lente amplificatam delineavimus, omni prorsus
Fig. 28. notione circa ejus animantem destituti.

TELLINA RVBIGINOSA.

Ital. *Tellina Rugginosa*.

Fig. 31. *Testae characteres.* Testa subrotunda, convexiuscula, fragilissima, glabra, transversim obsolete striata, rubiginoso colore infecta.

Testae descriptio. Testa subrotunda, in transversum paullo devaricata, antice parum coarctata, convexiuscula, diaphana, et valde fragilis. Valvae albescentes, atque glabrae, striis transversis tenuissimis, nonnisi lente conspicuis, annotinisque accessionibus distinguuntur. Cardo genericus; at juxta dentes primarios insigni gaudet scrobiculo explanato. Tota concha ochraceo colore inficitur ac si ferrea rubigine foret offusa.

Historia. Proxima amat Mergellinae litora perinde ac Tellina Exigua; at non ut illa in arena latet, sed in argilloso solo ochraceo colore imbuto, quo tota concha inficitur, ut paullo ante monuimus. Raro admodum occurrit; eamque nonnisi inanem invenimus.

TELLINA RETICVLATA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1119.

Ital. *Tellina Reticolata*; *Tellina rigata a guisa di rete*.

Tab.XX. *Testae characteres*. Testa subrotunda, convexiuscula, inaequilatera, striis in
Fig. 14. longum, atque transversis ad retis modum incisa; umbonibus acutis; area impressa; dentibus lateralibus exertis, lanceolatis.

Testae descriptio. Testa glabra, sublentiformis, parum convexa, latere antico productiore, obliquo. Striae confertissimae, quibus valvae tum in longum, tum

in transversum exarantur, lente perspectae, reti elegantissimo adsimilantur; punctaque universa, in quibus inter se mutuo decussantur, profunde excavata cernuntur. Umbones prominuli in apices desinunt acutos, atque contiguos. Area impressa, lanceolata, ad eorum latus anticum. Dentes cardinis laterales prominentes, acuti. Tota concha niveo candore spectabilis, fusco epidermate tenuissimo in ambitu circumducitur.

Historia. Tellinam istam inanem ad Puteolos super litus ejectam iterum iterumque comperimus. Idcirco Molluscum, cui tegumentum praebet, etiamnum ignotum.

TELLINA BALAVSTINA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1119.

Ital. *Tellina Balaustina; Tellina di color di Melagrana.* *T. XVI.*

Testae characteres. Testa subrotunda, nitida, ventricosa, fragilis, striis transversis obsoletis, radiisque rubicundis inaequalibus in longum distincta. *Fig. 17.*

Testae descriptio. Concha rotundato-trigona, nitida, tumidiuscula, tenuis, ac luci pervia. Valvae striis exilissimis in transversum, radiis vero rubicundis inaequaliter latis distinguuntur. Cardo genericus denticulis lateralibus exertis. Tota concha ex albo flavescit, radiis rubicundis, intrinsecus etiam conspicuis.

Historia. In Tarentino sinu inventam, ibique parum frequentem, semel iterumque consequuti sumus animante destitutam.

TELLINA FVSCA.

Ital. *Tellina Fosca.* *Tab. XV.*

Testae characteres. Testa crassa, rotundato-trigona, fusca, transversim leviter sulcata; margine gemino, altero elatiori crenato. *Fig. 33.*

Testae descriptio. Testa exigua, rotundato-trigona, convexiuscula, fusco colore infecta, intrinsecus albescens. Valvae crassae sulcis parum excavatis transversim discriminantur. Limbus interior duplex, quorum alter paullo elatior crenis exilibus distinguitur. Umbones aliquantulum exerti trigonam pene formam tribuunt conchae universae. Areae locum sinus obtinet carinatus: areola ovata. Dentes primarii tres; laterales nulli.

Tellinam hujusmodi adhuc incompertam effingit Fig. 33; eamdemque iterum valvis patentibus Fig. 32. Molluscum ipsa circumclusum omnino ignoramus, quum ipsam inanem tum ex sinu Tarentino, tum ex ora Pausilypi, simus consequuti. *Fig. 33.* *Fig. 32.*

Variat ob fulvum colorem, quo interdum tincta invenitur.

Si cardinis differentiam, ac proinde generis diversitatem demas, tum habitu, tum forma, Veneri Gallinae, quam suo loco describemus, omnino adsimilatur.

GENVS IV.

CARDIVM.

Ital. *Cardio*. Neapol. *Cocciola*. Gall. *Coeur*. Germ. Die Herzmuſchel.
Belg. *Hart-doublet*. Dan. Hiertäſkiället. Ang. *Heartshell*.

Generis characteres. Testa bivalvis, subaequilatera, aequivalvis. Cardo dentibus mediis binis alternatis; lateralibus remotis insertis.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1121.

Generis descriptio. Cardium a graeca voce *καρδιον*, *cardion*, quam latine *cor* redderemus, derivasse non ambigimus; quum hoc nomen ante Linnaeum peculiare fuerit conchis illis e bivalvium genere, quae cordis formam quodammodo referebant. Quam immane hujusmodi distributionis ratio a Naturae placitis abludat iis planissime patefiet, quosMollusca diversa in conchis cordiformibus hoc in Opere effictis hospitantia, inter se conferre non pigebit. Idcirco rectius Linnaeus eas tantum conchas bivalves inter Cardia adscripsit, quarum cardo dentibus binis primariis alternatim se se excipientibus gaudet, binisque aliis lateralibus, remotis, acutis, in totidem scrobicula valvae alterius insertis, quemadmo- *T. XVII. Fig. 6.* dum ex Fig. 6 Tab. XVII luculenter adparet. Quotquot hujus generis conchas perscrutari licuit, cujusvis eae essent formae, atque naturae, a Mollusco ejusdem Generis jugiter inhabitatas deprehendimus. Quod sane Linnaeum in hoc testarum Genere condendo Naturae vias recte fuisse adsequutum luculenter ostendit. At Mollusca hujuscemodi ad Thetydis progeniem perperam a Linnaeo relata, ad Cerastae gentem traducenda esse existimavimus [1]: notasque essentiales, quibus novum hoc Molluscorum Genus dignoscendum constituimus, sequentibus verbis definimus.

Tracheae binae subfistulosae [2], breves: inferior ampla valvula pendula in imo hiatu obvelata. Branchiae semiconjunctae.

Pallii limbus postice dentatus, plerumque sine cirris.

T. XVI. *Pes falciformis, subulatus, longissimus.*

Fig. 7. Inspice Fig. 7 Tab. XVI.

---

(1) Ad familiam, ad quam referri debent, dignoscendam, conferatur Caput II Partis II *Introductionis*, pag. 30.

(2) Etsi Cerastae tracheae jugiter fistulosae sint, quum eriguntur, ut plurimum tamen contractae, foraminiformes esse videntur.

Serpentem Cerastam dictum gemina, vel quadrigemina veluti cornicula carnea in capite habere docuit Plinius (1). Quare ob formam Cerastae similem, quam animantia Cardiis circumclusa praeseferre cognovimus, Cerastae nomen illis tribuere constituimus.

Quamvis Cardia omnia ob dentium cardinalium formam, numerum, atque situm penitus inter se conveniant, valvarum tamen forma, atque adfectionibus inter se discrepare conspiciuntur. Eorum pleraque sunt ampla, subrotunda, subaequilatera, ventricosa, sulcata, vel costis insignita: quaedam transversim striata, quaedam glabra, quaedam demum tuberibus, vel aculeis horrescunt: alia fluviatilia, pleraque marina. Eadem, Tellinarum, vel Solenum ritu, in arenosis latentia, rastro, reticuloque invadunt Conchytae, indeque subducunt; siquidem eorum carnes quammaxime appetuntur. Ora maritima utramque Siciliam tum cis, tum ultra Pharum circumambiens, uberrimam alit Cardiorum turbam, quorum variae species hae sunt.

CARDIVM RVSTICVM.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1124.

Ital. *Cardio Rustico*. Neapol. *Cocciola*. Venet. *Cappa tonda*. Gall. *Le Cocq bigarré*. Germ. Das Hahnenherz. Belg. *Een zeer uytmuntende Schulp*.

Rondelet. *De Test.* lib. I, pag. 21.
Bonann. *Recr.* Class. II, Fig. 100.
Lister *Hist. Conch.* Tab. CCCXXIX, Fig. 166.
Rumph. *Thes.* Tab. XLVIII, Fig. 11.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXI, Fig. M.
Seba *Thes.* tom. III, Tab. LXXXVI, Fig. 6.
Regenfus. *Collect. des Coquill.* Tabula VIII, Fig. 23, 24; Tab. XII, Fig. 77, 78. *T. XVI. Fig.* 33.

Testae characteres. Testa crassa, cordiformis, valde ventricosa, subaequilatera, in longum profunde sulcata, transversimque striata, annotinisque accessionibus plerumque distincta; latere antico retuso, postico rotundato, verrucoso.

Testae descriptio. Testa cordiformis, et adeo tumida, ut globulum quodammodo aemuletur. Latus posticum rotundatum; anticum tenuius, paullo brevius,

---

(1) *Hist. Nat.* Lib. XI, Cap. XXXVII, et Lib. VIII, Cap. XXIII.

atque in longum veluti recisum. Valvae satis crassae, firmissimae, fere aequilaterae, annotinisque accessionibus plerumque spectabiles, sulcis latis, atque profundis in longum discriminantur, qui rugis confertis, ac undulatis in transversum distinguuntur. Hi ad viginti, vel vigintiduo. Costae elevatae inter sulcos interjectae, teretes, atque glabrae: quae latus posticum spectant, verrucis veluti testaceis parum prominentibus gaudent. Tota concha est intrinsecus sulcis planis laevibusque exarata; ad umbones fornicata, maculaque fulva conspersa. Umbones turgescentes apicibus contiguis. Ligamentum ad latus umbonum anticum. Color testae fulvus.

Concha isthaec tum colore, tum valvarum quibusdam adfectionibus variare conspicitur. Colorum praecipuae varietates hae sunt:

(*a*) Testa satura fulva fasciis transversis nigrescentibus.

(*b*) Testa fusca fasciis transversis fulvis.

(*c*) Testa albida fasciis fulvis.

(*d*) Tota testa nivea.

Variat testa ob costas omnes verrucis, vel tuberculis distinctas [1]; ob costas ipsas aculeis exiguis in longitudinem horridas; interdum ob costas anticas dumtaxat aculeatas; et ob earumdem verrucas plus minus elatas, quae in junioribus interdum omnino deficiunt.

T.XVI. Fig. 6. Cardii Rustici effigiem Fig. 5 Tab. XVI e latere repraesentat; Fig. vero 6 e parte dorsi. Praecipuam ejus magnitudinem sesquialteram pene hujus, quam plerumque obtinet, esse pronuntiamus.

Historia. Utriusque Siciliae aequor ingentem alit hujusmodi concharum numerum; et quaedam ejusdem litora, posteaquam pelagus saevierit, illis pene obruta inveniuntur. In Cratere Neapolitano illum praecipue incolunt maris tractum, qui a Castro Lucullano (vulgo *Castel dell'Uovo*) ad Pausilypi Promontorium longe lateque protenditur. Arena demersae vivunt, cui aquae marinae ad 15 ferme pedum altitudinem imminent. Rastro, reticuloque, ut de ceteris dictum est, expromuntur, si aestivam tempestatem demas, quando Conchytis eas comprehendere lege vetitum est. Earum carnes etsi suavitate spectabiles, divitum mensas adire non consuescunt; ceteras autem ornant saepenumero, vel ex oleo, pipere, mica panis, herbisque olentibus conditae, vel omnino crudae.

---

(1) Concham istam, quam varietatem Cardii Rustici esse confidenter statuimus, illustris Linnaeus tamquam speciem peculiarem respexit, Cardiumque *Tuberculatum* appellavit, indicans Fig. 11 Tab. XLVIII *Thesauri Amboinensis Rumphii*.

Mollusci characteres. Cerastes (Cinnabarinus) pallii limbo crasso, postice dentiformi; tracheis usquequaque cirratis; iisdemque, cirris, ac pallii limbo, miniaceo, vel aureo colore infectis; pede cinnabarino longissimo.

MOLLVSCI ANATOME.

Fig. 7 Tab. XVI Cerastam Cinnabarinum repraesentat conchae suae, quantum fieri potest hianti, adnatum, pede extra illam educto. A est trachea pallii omnino patens, cirrisque circumsepta: pone ipsam trachea branchialis, quam alibi exhibebimus, consistit: hic valvulam dumtaxat *a*, qua inferius tegitur, conspicere licet. *b*, *b* sunt branchiae flavescentes, vel luteo colore offusae. *c* est musculus valvarum adductor margaritaceo nitore conspicuus, cui os proxime imminet; superior alter sub *e e* delitescit. D tandem exprimit pedem quodammodo protensum, eximioque cinnabarino colore splendentem; quem quinos circiter pollices longum in vivario saepe conspeximus. Ejus adminiculo Cerastes non circa se modo in gyrum agi, sed ad utrumque latus verti, vel strenue subsilire par est. Dum haec fiunt, illam pes accipit formam, quam ad D in hac Figura expressam vides; siquidem pede ipso in arcum sinuato, ejusque apice E contra solum vehementer adacto, totum corpus ad libitum animantis pernicissimo motu circumagitur. Interdum arenoso solo perterebrando addictus, subulatus evadit, vel terebrae volutas aemulatur; motuque celerrimo instar anguis jugiter ejaculatus, contraque arenam adactus, illam findit, perforat, tranat, donec tota concha sub illa omnino occultetur. Dum inoperosus consistit, falciformis adparet, cubitumque pene refert sicuti in Fig. 19. Animali demum interemto, pes omnino remissus, flaccidusque, effigiei E F in Fig. 8 adsimilatur. *T. XVI. Fig. 7. Fig. 19. Fig. 8.*

Maximam pallii partem, Mollusci corpore mordicus amputato, in Fig. 10 delineavimus, quo peculiarem quarumdam partium fabricam, vel situm enuclearemus. A A est trachea superior, sive pallii, in longum dissecta ad maculas *a a*, quibus exornatur, patefaciendas. Hae admodum concinnae croceo diluto colore nitent. *b a a b* est musculus pallii orbicularis, superne glaber, aureoque colore conspicuus, quo Molluscum conchae margini in ambitu adhaeret, *d d* vero illius velabrum, sicuti in reliquis, exilissimum, quod lente exploratum vasculis quamplurimis vel croceis, vel candore conspicuis, refertum adparet. *m* est valvula semilunaris tegens tracheam inferiorem, in quam intestinum rectum *c*, musculo adductori superiori *e e* proxime incumbens, influere conspicitur. *n n*, *o o* sunt lobi branchiarum interiores transversim recisi, tunicis *f*, *f* modice distractis, ad *Fig. 10.*

earum loculos *xx*, *zz* visui subjiciendos; de quorum usu jam alibi dictum est (1). Ad *q* cisternam lacteam expressimus, cujus propagines lactiferae *r*, *r* ad branchias; reliquae *s*, *s* ad pallium, atque tracheas de more pergunt.

T.XVI. Fig. 9. Fig. 9 Cerastam hunc repraesentat a concha avulsum, trachea pallii AA, abdomine BB, pedeque CC in longum dissectis. Lobi branchiarum interiores, amplioresque D, D, apicibus suis ad *a* coalescentes, tracheae inferiori prope illius valvulam *b* adnascuntur: imi apices bina labiorum paria *h*, *h* ori adjacentia, uti solent, attingunt. Branchiarum color flavus, vel luteus. Membrana trigona *a d* limbos earumdem interiores simul nectit; perque ipsam cisterna lactea *c*, et quaedam vasa lactifera, puta *f*, *g*, translucere videntur. Imum abdomen *k k* tereti gaudet prominentia *l* ad modum columellae, quae superiora versus producta, inque binas musculosas propagines diremta, capitibus suis conchae adligatur.

Varia abdominis, pedisque tegumenta infra ostendemus: hic musculos rectos *Fig.* 9. dumtaxat *e e*, perinde ac funiculares *mm*, *nn*, *oo*, *pp*, partim in medium sectos, partim integros in naturali situ exhibemus. Hisce postremis, sive funicularibus, cuncta viscera in abdomine contenta de more fulciuntur, convenienterque colligantur. Jecur imum abdomen tenet, ut postea videbimus; ovariumque partim illi constratum, sursum pergit, atque intestina comitatur, sicuti ad *rr*, *ss* cernere licet. Est ipsum fistulosum, subteres, ramosum, subinde coarctatum, tenuique membrana compactum, per quam ova inibi contenta conspici queunt. Quo ejus fabrica, plexusque varii, quibus ejus propagines simul implicantur, perspi-*Fig.* 17. cui fiant, microscopio amplificatum delineavimus in Fig. 17. Ova in eo ob ingentem *Fig.* 18. exilitatem vix conspicua, lente paullo adaucta exhibet Fig. 18; maxime vero amplificata ad *a a* in eadem Figura ostenduntur. Constant ipsa membrana tenui, subrotunda, humore completa, in cujus medio corpus quoddam ovatum, in primis luci pervium, mox penitus opacum adparet; quod membrana praedicta exutum ad *bb* in eadem Fig. 18 exaratum cernes. Tota ovorum congeries ovario circumducta, substantia admodum glutinosa usquequaque irretitur.

Jecur amplissimum, viridescens, compluribus folliculorum acervis de more conflatum, variae hac illac subeunt vasorum sanguiferorum propagines, sicuti *Fig.* 15. in Fig. 15 e natura effinximus. Ad hoc investigandum lente usi sumus. Venam porro satis amplam, quam *portam* recte nuncupares, jecoris folliculos pari ra-*Fig.* 16. tione subeuntem, talem delineavimus in Figura 16, qualem microscopio conspeximus.

---

(1) *Introd.* Part. II, Cap. VIII, p. 69; et in Anatome Limnaeae Fuscae Mya Pictorum obtectae.

In hepatis gremio tum duplex ventriculus, tum etiam aliquot intestina recon- *T. XVI.*
duntur. Sunt haec longitudine praestantia, atque implicatissima, sicuti in Fig. 11 *Fig.* 11.
e natura expressum vides. Eorum longitudo 12 ferme pollices aequabat quum Cerastae jam exanimati longitudo vix quinos attingeret. Ut multiplices eorumdem flexus perspicuos redderemus, illis omnino intemeratis, intestina paullo explicavimus, et microscopio adauximus in Fig. 12. Ibi *a* effingit os labiis commu- *Fig.* 12.
nitum; *b* gulam; C geminum ventriculum; *defg* universum intestinorum tractum, in rectum *hi* postremo abeuntem. Intestinum jejunum *de* (si ita ipsum appellare fas est) medio septo longitudinali in geminas fistulas discriminatur, quarum altera intestinum proprie constituit, altera vero thecam efficit stili crystallini *x* (Fig. 13), cujus apex sagitta tricuspide *y* communitus ingluviem de more subit. *Fig.* 13.
Qua ratione id fiat, in Anatome Callistae Discoloris ad Mactram Neapolitanam spectantis perspicue enucleabimus: de ejus usu Capite III Part. II *Introductionis*, pag. 41 jam disputavimus.

Cuncta viscera hucusque recensita musculi multiplices complectuntur, firmiterque perstringunt; quorum fabricam, mutuumque nexum in Fig. 19 effingere *Fig.* 19.
proposuimus. Quare cute *aa* in primis dissecta, musculos obliquos *b*, *c*, proxime subjectos, illum in naturali situ, hunc ad latus revolutum deteximus; quorum capita *d*, ejusque socium, ad *x* pone abdomen reflexum, conchae valvis adligantur. Secus lineam mutui eorum nexus linea veluti tendinea *ee* excurrit, quam *lineam albam* recte diceres. Haec crassior facta ad *i*, formamque subrotundam nacta, in geminos tendines *m*, *m*, dispertitur, qui musculum adductorem inferiorem A subeuntes, valvis adnascuntur. Musculis obliquis succedunt proxime transversi, quorum alterum ad B inviolatum reliquimus, alterum mordicus avulsimus ad musculum rectum C, visceribus abdominalibus contiguum, palam faciendum. Qui in altero latere locatur, sub musculis B, et *b* omnino delitescit. Universi hujusmodi musculi pedem simul attingunt, qui praeterea substantia veluti cavernosa conflatur, ad *mnop* conspicua in Fig. 9. *Fig.* 9.

Ad thoracis, partiumque illi adjacentium perlustrationem demum ventum est. Id ut probe conficeremus, Cerastam pronum in Fig. 8 delineavimus. ABCD *Fig.* 8.
est pallium limbo suo, quâ concham respicit, sulcato, sive dentato. BC est trachea pallii dissecta; *a* vero trachea branchialis contracta, atque intemerata. Ambae in hoc contractionis statu bina foramina mentiuntur in pallio indita, sicuti plerumque fieri solet: raro erectae exertaeque fistulam geminam efficiunt duas, tresve lineas longam, ut ad *xy* in Fig. 5. Utraque cirris obsita est, ad basim proce- *Fig.* 5.
rioribus; qui porro super musculo adductori *bb* porrecto ordine digeruntur. Cir- *Fig.* 8.

ri isti, et tracheae, perinde ac pes, abdomenque EF, cinnabarino nitore refulgent: pallii limbus miniaceo colore nitet. *c* est os labiis communitum, cui proxi-
T.XVI. me incumbit musculus adductor alter *e e*, indeque tendinum capita *i*, *i*, ad pedem
Fig. 19. spectantium, quos ad *m*, *m* expressimus in Fig. 19. *dd* est imum abdomen jecur
Fig. 8. *m m* in se recondens, ovario turgescente coopertum foecundationis tempore. Imminct ipsi thorax, quem hic pericardio secto exhibemus ad detegendum cor *n*, ejusque auriculas *o*, *o*, quae limbo suo exteriori venis branchialibus de more adnatae, illarum humorem ad circulationis munus obeundum in se recipiunt. Gemini branchiarum lobi *r*, *r*, *s*, *s*, magnitudine impares, per pallii membranam translucent. Eorum fabricam jam alibi enucleavimus (1). Cor subovatum, musculosum, uniloculare, alternis contractionibus actum perinde ac auriculas, iterum iterumque contemplati sumus; utraque valde tumescentia, atque universam thoracis capacitatem longe lateque occupantia. Animante a concha divulso, pericardioque labefactato, memoratae contractiones remittuntur, vel omnino subsident; corde stimulis percito postliminio restaurantur.

Fig. 8. Geminae aortae, ascendens nimirum *t*, descendensque *v*, in plures propagines abeunt: illa pallium, musculum adductorem *bb*, tracheasque petit, haec in abdomen illata, cuncta illius viscera, musculos, ac tegumenta subit, atque irrorat.

Fig. 8. Summum thoracem obtinet viscus testaceum *xx*, musculo adductori partim subjectum, ideoque non crebris modo illius contractionibus, sed alternis simul tum cordis, tum auricularum motibus, dum sanguine turgent, valide adactum.

De ejus fabrica, atque usu alibi disputavimus (2); eadem in anatome Axinaeae Polydermae, cui Arca Pilosa tegumentum praebet, ulterius investigaturi.

CARDIVM PAPILLOSVM.

Ital. *Cardio Papilloso*.

Fig. 2. *Testae characteres*. Testa minima, cordiformis, subaequilatera, in longum profunde sulcata, transversimque rugosa; costis elevatis, papillisque prominulis seriatim digestis exornata; margine antico intrinsecus serrato, purpurascenti.

Testae descriptio. Concha cordiformis, et fere aequilatera, haud latius patens
Fig. 2. quam Fig. 2 Tab. XVI. Valvae sulcis profundis in longum discriminantur transverse rugosis. Costae sex et viginti interjectae, papillis testaceis prominentibus,

(1) In Anatome Hypogaeae Verrucosae, pag. 45.

(2) Ibid. pag. 49.

ab apicibus ad marginem seriatim digestis, distinguuntur, nudo oculo vix conspicuis. Latus posticum rotundatum: anticum oblique leviter exertum, marginem gerit intrinsecus serratum, maculaque purpurascenti offusum. Cavitas reliqua punctis purpureis hac illac conspersa cernitur. *T. XVI.*

Fig. 2 Tab. XVI Cardium istud e latere repraesentat. Idem in Fig. 3 valvis penitus diductis cernere est. Fig. 4 demum eamdem concham refert microscopio amplificatam. *Fig. 2, 3.* *Fig. 4.*

Historia. Concham istam adhuc ignotam nonnisi in litore Herculanensi prope Regiam Villam *la Favorita* (*Villa di Jaci* nuper nuncupatam) legere consuevimus, licet semper inanem.

CARDIVM EDVLE.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1124.

Ital. *Cardio Edule*. Neapol. *Cocciola de lo Fusàro*.
Angl. *The common Cockle*; *the edible Cockle*.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCCXXXIII, Fig. 170; Tab. CCCXXXIV, Fig. 171.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXI, Fig. F.
Baster *Op. Subsec.* tom. II, lib. II, Tab. VIII, Fig. 1, 2.
Pennant *Brit. Zool.* Tab. L, Fig. 41.
Da Costa *Brit. Conch.* Tab. XI, Fig. 1.

Testae characteres. Testa cordiformis oblonga, tenuis, ventricosa, inaequilatera, in longum sulcata, transversimque obsolete striata; latere antico satis producto, atque intrinsecus fusco colore notato. *T. XVII.* *Fig. 13.*

Testae descriptio. Testa cordiformis, transversimque oblongata, tenuis, subdiaphana, ac satis tumida, sulcis latis in longum, transversim vero striis obsoletis, inelegantibus, annotinisque accessionibus exarata conspicitur. Latus posticum rotundatum; anticum longe tenuius, ac fere hians adeo producitur, ut concham inaequilateram, atque oblongam efficiat. Valvae intrinsecus sulcatae sulcis planis, atque fornicatae, ad latus anticum livido, fuscoque colore largiter inficiuntur. Umbones tumidi, apicesque contigui. Ligamentum ad latus anticum. Totius conchae ambitus epidermate viridescenti obductus. Color testae ex albo flavescit. Latus anticum intrinsecus colore fusco, per testam leviter translucente, inficitur. Fig. 14 Cardium hoc a parte dorsi; Fig. 15 ejusdem cavitatem ostendit. *Fig. 14, 15*

T.XVII. Variat ob latus anticum minus exertum, ac propemodum rotundatum ut in Fig. 12. Cardio Rustico, maculamque illius interiorem minus saturam: quod sane nonnisi in junioribus contingere observavimus, quorum valvae graciliores. Jugiter autem differt a praecedenti, quod testam crassiorem, magisque rotundatam, sulcosque profundiores gerit; costas item ad latus posticum verrucis communitas: neque ullibi, nisi rarissime, fusco colore offunditur.

Historia. Degit ubique in lacu Fusario (vulgo *Fusàro*) haud procul a Literna palude (*Lago di Patria*). Ibi limo obrutum vivit, quem alluunt aquae marinae dulcibus commixtae. Ingens ipsorum copia Neapolim adlata nonnisi a plebeiis usurpatur, qui eorum carnes modice suaves crudas comedere malunt. Animal segni potius natura praeditum, Cerastae Cinnabarini vivacitatem ne vix quidem attingit; et in vivario detentum nonnisi raro pedem e concha efferre conspicitur.

Mollusci characteres. Cerastes (Gracilis) trachearum rictu dumtaxat cirrato; pede in primis semilunato, compresso, mox subulato, brevi, dilute miniaceo; branchiarum lobis exterioribus angustissimis, linearibus.

MOLLVSCI ANATOME.

Cerastes Gracilis pallii limbum obtinet admodum tenuem, superne glabrum, inferne, quâ valvis adnascitur, leviter dentatum; interdum colore dilute flavo, quandoque albescente infectum. Tracheae binae plerumque foraminiformes, dum vero protenduntur fistulosae, ut in Cardio Rustico, aliisque, limbum dumtaxat habent cirris insignitum. Trachea inferior valvula ampla opalinis coruscationibus splendente, micisque aureis venustissimis conspersa, inferius obvelata cernitur. Fig. 12. Abdomen ventricosum in pedem abit *b*, in primis compressum, ac semilunatum, mox falciformem, subulatum, brevem. Hunc mense Octobri albescentem observavimus; Decembri vero, et Januario dilute flavum, vel saturum miniaceum invenimus. Abdomen mense Martio valde turgidum, ovarii propagines elegantissimas partim coloris mali aurei, partim ob maturitatem albescentis, vel lactei, per sui tegumenta translucere sinit. Ovarii, atque ovorum forma ut in Cardio Rustico, ceterisque adfinibus. Hepatis folliculi fusci coloris, et fere pyriformes, adjecto sibi pedunculo simul coacervantur, bileque turgent. Lobi branchiarum interiores ampli, semielliptici, ut in congeneribus; exteriores angustissimi, lamellamque rectilineam imitantes. Membrana inter branchias interjecta, opalino nitore, micisque aureis, haud secus quam in Cerasta Cinnabarino, coruscare videtur. Labia pyramidalia, transversimque striata.

Totum animal textura gaudet gracilissima, ideoque Cerasta Cinnabarino, Versicolori, Giganteo, aliisque longe debilius.

Ex his intelligitur Cerastam Gracilem Cinnabarino simillimum, ab illo alioquin discriminari non ob partium modo gracilitatem, sed etiam ob formam linearem loborum exteriorum branchiarum; ob pedis brevitatem, ejusque radicem compressam, atque semilunatam; ob defectum denique cirrorum ad trachearum radices.

CARDIVM MVCRONATVM.

Ital. *Cardio a palette*.

Testae characteres. Testa cordiformis, ventricosa, crassa, subaequilatera, in longum profunde sulcata, transversimque rugosa; aculeis rectis excavatis, plerisque obtusis, secus costas rectangulas insignita. *T. XVII. Fig. 7, 8.*

Testae descriptio. Testa cordiformis, in transversum paullo dilatata, tumida. Valvae crassiusculae sulcis latis in longum discriminantur transverse rugosis. Costae interjectae rectangulae aculeis seriatim horrescunt, si umbonum regionem demas. Aculei inaequales: qui lateri antico insistunt, omnium brevissimi, atque exilissimi: ceteri, praesertim in latere postico, crassiores, longioresque; plerique canaliculo medio insigniuntur, apicemque gerunt depressum, et cochlearis instar dilatatum. Umbones tumescentes apicibus contiguis. Areola distincta. Valvae intrinsecus sulcatae. Tota concha ex albo flavescit.

Variat ob aculeos subulatos, vel apice compresso, et cochlearis instar dilatato [1].

Historia. Secus amoenissimam Pausilypi oram simul cum Cardio Rustico promiscue vivit; minus tamen illo obvium esse profitemur.

CARDIVM CILIARE.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1122.

Ital. *Cardio Cigliare*. Angl. *The fringed Cockle.*

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXII, Fig. C.

Pennant *Brit. Zool.* Tab. L, Fig. 39.

---

(1) Numne praeclarus Born concham istam pro varietate Cardii Aculeati, vel saltem pro Cardio ipso juniori accepit in suo egregio Opere *De Testaceis Musei Vindobonensis*, pag. 44? Nos autem post complures ad examen revocatas, ipsam speciem peculiarem esse confidentissime statuimus.

T.XVI. Fig. 20. *Testae characteres*. Testa cordiformis, ventricosa, tenuis, subaequilatera, in longum profunde sulcata, transversimque rugosa; aculeis rectis exilibus, plerisque apice dilatatis, secus costas triquetras insignita.

Testae descriptio. Concha isthaec est adeo adfinis Cardio Mucronato, ut ejus varietatem esse jure suspicari posset. Differt praecipue ob valvarum tenuitatem, fragilemque compagem; ob costas trigonas, aculeosque longe tenuiores: insuper testae color est saturatior fulvus.

Historia. Cum praecedenti promiscue vivit, eidemque Mollusco tegumentum tribuit.

CARDIVM ECHINATVM.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1122.

Ital. *Cardio Echinato; Cardio a rampini*. Neapol. *Cocciola pugnente*.

Gall. *Coeur de boeuf épineux*. Angl. *The echinated Cockle; the thorny Cockle.*

Seba *Thes.* tom. III, Tab. LXXXVI, Fig. 3.

Da Costa *Brit. Conchol.* Tab. XIV, Fig. 2.

T.XVII. Fig. 4, 5. *Testae characteres*. Testa ampla, cordiformis, oblonga, crassa, admodum ventricosa, margine postico rotundiori; sulcis in longum, costisque fere contiguis, et aculeis plurimis brevibus ad angulum rectum ut plurimum inflexis, insignita; aculeis posterioribus verrucarum instar rotundatis.

Testae descriptio. Testa ampla, cordiformis, in longitudinem paullo oblongata, satis crassa, admodum convexa, et ad discum fere globosa. Margo posticus magis orbiculatus quam anticus, in quo nullus hiatus, secus ac in praecedenti. Valvae in longum sulcatae costis ferme densatis praeditae sunt, quae aculeis plurimis atque confertissimis, licet brevibus, horrescunt. Hi multiformes sunt; quippe in latere antico recti, acuti, in postico brevissimi, rotundati, ac verrucarum aemuli; qui inter utrosque jacent, ad angulum rectum inflexi, atque acutissimi. Umbones tumescentes apicibus contiguis. Ligamentum ad latus anticum ut in ceteris Cardiis. Tota concha elegantissima intus albida, extrinsecus colore laete fulvo splendescit.

Differt a sequenti praecipue ob sulcos, atque costas angustiores, ac fere contiguas; et ob aculeos numerosiores, confertioresque.

Historia. Quum ingens sit apud nos hujusmodi concharum copia, Lectores jure mirabuntur nos earum Molluscum semel iterumque dumtaxat comparare potuisse. Didicisse autem juvat ipsas arena obrutas in profundo pelago recondi, proptereaque Conchytarum vires, atque sagacitatem prorsus eludere. Nonnisi sae-

viente pelago ad arenae fastigium efferuntur, ubi animans, quem tegunt, vel ab aquarum vehementia, earumque collisu exanimatur, vel a Saepia Octopodia ipsius carnium cupidissima, atque voracissima, mordicus discerpitur, atque deglutitur. Quo fit deinceps, ut a natali solo ablegatae, atque huc illuc abreptae, in piscatorum retibus fortuito irretitae deprehendantur. Illas inter nonnisi rarissime contingit, ut una vel altera inveniatur, quae suum animantem adhuc vivum, et inviolatum circumcludat. Idcirco neque octo annorum studium, neque piscatorum conatus (quorum avaritiae omnibus modis alliciendae operam dedimus) tantum facere potuerunt, ut plus quam binas hujusmodi conchas animante suo completas adquireremus.

Mollusci characteres. Cerastes (Cirratus) limbo pallii gemino, exteriori circumundique cirrato; pede subulato, longissimo.

MOLLVSCI ANATOME.

Tracheae binae, fistulosae, breves, cirris subulatis, confertissimis, inaequalibus obsitae, qui non tracheas modo ipsas, sed earum radices, regionemque circumpositam exornant. Hi ceteris robustiores longioresque. Cuncti autem, aeque ac tracheae, atque pallium, venustissimo cinnabarino colore nitent. Imo tracheae inferioris hiatui valva amplissima ventilabriformis objicitur, ut de Cerasta Cinnabarino antea dictum est. Utrarumque facies interna maculis lacteis usitato more illita est.

Pallii limbus dentatus duplici fimbria exornatur, quarum altera speciose plicata conspicitur. Insistunt limbo ipsi cirri breves, subulati, minimi, qui dum distenduntur eximiam fortasse longitudinem de more consequuntur. Pallii membrana tenuissima vasculis plurimis exilissimis praedita est.

Pes falciformis, subulatus, praelongus, cinnabarino colore conspicuus.

Branchiae flavae, semiconjunctae: labia pyramidalia transverse striata.

Cetera, interiorem Mollusci fabricam respicientia, hic referre supervacaneum censemus, quum iis, quae in Cerasta Cinnabarino obtinere demonstravimus, omnino adsimilentur.

Ex his omnibus liquet Molluscum Cardii Echinati omnino convenire cum incola Cardii Rustici. Unica tantum differentia videtur consistere in limbo pallii, qui fimbria duplici subinde plicata, et cirris licet brevibus praeditus est.

CARDIVM ACVLEATVM.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1122.

Ital. *Cardio aculeato; Cardio spinoso*. Neapol. *Cocciola pugnente.*

Gall. *Coeur de boeuf épineux*. Germ. Das Nagelherz.

Angl. *The aculeated Cockle; the spiked Cockle*. Belg. *Gedornte Nagel.*

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXII, Fig. A.

Argenville *Conchyl.* Tab. XXIII, Fig. B.

Seba *Thesaur.* tom. III, Tab. LXXXVI, Fig. 4.

Pennant *Brit. Zool.* Tab. L, Fig. 37.

T. XVII. Fig. 1, 2, 3 *Testae characteres*. Testa cordiformis, tenuis, ventricosa, antice retusa, postice rotundata, sulcis amplis longitudinalibus transversim striatis, costisque distantibus, linea media excavata, aculeisque pyramidalibus longissimis secus illam horridis insignita; margine antico hiante.

Testae descriptio. Testa amplissima, cordiformis, maxime tumens, ob sui tenuitatem luci pervia; latere postico rotundato, antico tenuiori paullo hiante, atque in longitudinem veluti exciso. Valvae sulcis in transversum leviter striatis, costisque latis distantibus, ac pene explanatis praeditae sunt. Hujusmodi costae, in latere antico vix conspicuae, linea media veluti insculpta distinguuntur, quam secus aculeis multiformibus horrescunt. Hi in latere antico omnium longissimi, depressi, ac fere pyramidales; in medio disco omnium brevissimi, tenuiores, ac versus latus anticum inflexi; demum in latere postico ceteris torosiores. Ligamentum ad latus umbonum anticum. Testae cavitas profunde sulcata albescit. Tota concha extrinsecus albida, diluteque fulva: latus anticum levissime purpurascit.

Historia. Cardium hujusmodi cum Echinato promiscue vivit, eademque historia respicit utrumque.

Molluscum, quod in se fovet, Cerastae Cinnabarino, atque Cirrato summopere adsimilatur. Differt ab utrisque ob defectum tantum cirrorum in trachearum vicinia, quam *perinaeum* rite nuncupares. Idcirco notae sui specificae hae sunt.

Mollusci characteres. Cerastes (Giganteus) cinnabarino colore offusus; pede subulato praelongo; ad trachearum radices cirri nulli.

Ob proceram, qua gaudet, staturam, *gigantei* adjectum ei convenire censuimus.

Exteriorem tantum hujus animantis formam exhibuit Otho Fridericus Müllerus in eximio suo Opere *de Zoologia Danica*, Tab. XIII, et XIV, Fig. 1, 2.

CARDIVM FLAVVM.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1123.

Ital. *Cardio giallo*. Neapol. *Galluccio*. Germ. Das gelbe Herz.

Testae characteres. Testa ovata, ventricosa, glabra, in longitudinem leviter sulcata, annotinisque accessionibus transversim distincta; latere antico laevi; umbonibus nitidis; margine interiori circumundique serrato. *T.XVII. Fig. 9.*

Testae descriptio. Testa cordiformis, in longum porrecta, et fere ovata, satis tumens, glabra. Valvae sulcis parum profundis confertisque in longum discriminantur, antico latere excepto, quod omnino laeve est: transversim autem annotinis accretionibus identidem cinguntur. Umbones, atque apices laeves, nitidissimi. Testae cavitas laevis, nitida, atque niveo candore insignis, margines dentatos gerit. Ligamentum ut in praecedentibus. Tota concha extrinsecus (umbonibus exceptis) epidermate tegitur strenue sibi adnato, ac e flavo viridescenti. Umbones omnino flavescunt.

Ejus effigiem modicae magnitudinis, una cum animantis pede *a* extra illam exerto, intuendi cupidos ad Fig. 9 Tab. XVII amandamus. Nonnullas longe pro- *Fig. 9.* ceriores haud aegre invenire licet.

Historia. Cardium Flavum varia incolit Regionis hujus litora arenosa. In Cratere Neapolitano maritimam Pausilypi oram, Cantalupae plagae proxime subjectam, praecipue colit; ubi interdum cum Cardio Rustico, et Laevigato, Venere Chione, et Mactra Neapolitana gregatim vivit, quatuor fere pollices sub arena, quinque autem passus sub aqua demersum. Carnes, atque mores Cerastae Cinnabarino simillimi.

Mollusci characteres. Cerastes (Maculosus) limbo pallii laevi, tenui, subviolaceo; pede subulato, falciformi, maculis saturis violaceis, serpentinis, multiformibus, consperso; apice, ac linea longitudinali, albis.

Inspice Fig. 9 Tab. XVII. *Fig. 9.*

MOLLVSCI ANATOME.

Cerastes, de quo agimus, pallii limbum gerit tenuem, superne laevem, maculisque minimis saturis violaceis distinctum; inferne leviter dentatum. Tracheae binae, dum eriguntur subfistulosae, circumundique cirratae cirris confertissimis, subulatis. Trachea inferior ampla valvula tegitur, scrobiculum veluti clavatum, transverseque rugosum intrinsecus praeseferente. Universa trachearum regio,

aeque ac cirri, et pallii limbus, colore saturo violaceo offunduntur: illae intrinsecus maculis luteis variegatae videntur. Pes falciformis, subtere s, subulatus, longissimus, maculis subviolaceis, serpentinis, multiformibus, elegantissimis, a sui medio ad apicem conspersus adparet, linea alba in longitudinem notatus: apex plaga peculiari similiter alba, atque lanceolata distinguitur. Cetera, ut in Cerasta Cinnabarino.

Ex quibus intelligitur Cerastam Maculosum, Cinnabarino ceteroquin simillimum, nonnisi ob limbum pallii superne laevem; ob scrobiculum in valvula tracheae; et ob maculas subviolaceas, quibus pictus adparet, ab illo discriminari.

CARDIVM LAEVIGATVM.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1123.
Ital. *Cardio Levigato*. Neapol. *Galluccio*. Gall. *Coeur couleur d'orange*.
Germ. Das glatte Herz. Belg. *Oranjekleurig*. Angl. *Smooth Cockle*.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXXII, Fig. A.
Pennant *Brit. Zool.* Tab. LI, Fig. 40.

T. XVII. Fig. 10. *Testae characteres*. Testa cordiformis, ventricosa, nitidissima, flavescens, margine superiori dilatato; striis obsoletis in longum distincta; ad marginem interiorem leviter sulcata.

Testae descriptio. Testa cordiformis, satis convexa, usquequaque nitidissima, margine superiori, qui umbonibus opponitur, aliquantum dilatato. Valvae tenues, ac luci perviae strias longitudinales gerunt vix conspicuas. Margo interior crenatus, sulcis abbreviatis exilibus discriminatur. Tota concha colore laete flavo nitet, maculis sulphureis, atque ad umbones sanguineis eleganter consperso. Intrinsecus maculis sanguineis dumtaxat variegata cernitur.

Insignem ipsa patitur varietatem, tum ob sui formam magis oblongatam, tum ob valvarum crassitiem, qua luci imperviae efficiuntur; tum denique ob colorem laete roseum, quo intrinsecus nitent. Quae sane nonnisi in adultioribus obtinere comperimus. Formam, quam communiter induit jam adulta, Fig. 10 Tab. XVII
Fig. 10. e latere ostendit, Mollusci pede *c* extra illam porrecto. Eamdem e parte dorsi
Fig. 11. exhibet Fig. 11.

Historia. Qui Cardii Laevigati historiam, atque Molluscum dignoscere cupiunt, ea conferre debent, quae de Cardio Flavo supra declaravimus, quum ambo in iisdem maris plagis promiscue degant, eumdemque animantem circumcludant.

CARDIVM CASERTANVM.

Ital. *Cardio di Caserta.*

Testae characteres. Testa subrotunda, convexiuscula, glabra, fragilissima, striis tenuissimis confertisque transversim distincta. *T. XVI. Fig. 1.*

Testae descriptio. Testa subrotunda, transversim paullo oblongata, tumidiuscula, exigua. Valvae glabrae, maxime fragiles, striis exilissimis lente conspicuis confertisque, perinde ac annotinis accessionibus, exaratae conspiciuntur. Tota concha niveo candore nitet.

Naturalis hujus conchae magnitudo vix duas tresve lineas excedit. Nos vero longe ampliorem delineavimus ad ipsam clarius repraesentandam.

Historia. Cardium hoc in rivuli alveo per regium Casertae nemus praeterfluentis, simul cum aliis testis fluviatilibus invenimus animante destitutum.

GENVS V.

MACTRA.

Ital. *Mactra.* Germ. Die Korbmuschel. Belg. *Korfdoublet.* Angl. *Mactra.* Dan. Trugskiället.

Generis characteres. Testa bivalvis, inaequilatera, aequivalvis. Cardo dente medio complicato cum adjecta foveola; lateralibus remotis, insertis.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1125.

Generis descriptio. Conchas omnes bivalves, cardinem ea ratione comparatum praeseferentes, ut dentes laterales remoti in pares alterius valvae inserantur, medius autem utrinque complicatus sit, seu dentibus veluti geminis ad angulum acutum simul coalescentibus compactus, et scrobe patula ad latus alterum insignitus [1], Mactrae Generi adscripsit praeclarus Linnaeus. Geminae huic scrobi, alteri in altera valva, adfigitur utrinque caput ligamenti cujusdam peculiaris ex fulvo rufescentis, interdum etiam coloris amethystini, teretisque formae, quod Capite V Partis I Introductionis pag. 20, *Ligamentum simplex* denominavimus. Hoc perinde ac ligamentum alterum exterius, quod cunctis conchis bivalvibus commune est, valvis simul colligandis inservit, exemplo fortasse singulari, nisi Spondylus, et quaedam Ostrearum species ipsum pariter praeseferrent. Valvis extra modum vi diductis, in sui medio diffringitur, capitibusque suis scrobi nuper commemoratae hinc inde adfixum remanet.

(1) Inspice Fig. 3 Tab. XVIII.

Species quasdam hujus Generis latitudine praestantes genericam denominationem indigitasse credendum est; *mactram* siquidem tum apud Graecos, tum apud Latinos *arcam panariam*, seu vas illud, in quo farina subigitur (quae *madia* nobis est) significare novimus. Pleraeque igitur Mactrae sunt admodum latae, atque glabrae, epidermate tenui, interdum etiam striis, vel radiis distinctae. Forma, qua communiter gaudent, ad ovatam accedit: non desunt tamen quae oblongam, seu linearem praeseferunt. Paucae fluviatiles sunt, pleraeque marinae. Utraque limum, vel arenam colit, ut de ceteris hujusmodi conchis dictum jam est. Quas nobis perlustrare facultas fuit, duplici Molluscorum Generi tegumentum praebere comperimus, quorum utrumque, secundum novam methodum nostram zoologicam, ad primam Familiam spectat Molluscorum subsilientium [1]. Alterum genus Peronaeam appellavimus; cujus genericos characteres, atque anatomen, pag. 30, et 32 cumulate tradidimus: genericum vero Callistae nomen ob rationes alibi relatas [2] alteri indidimus; notaeque Generi peculiares hae sunt:

Tracheae binae fistulosae, sive omnino coalescentes, sive partim disjunctae.

Branchiae divisae, prope apices superiores simul nexae, patentes.

Pallii limbus in plerisque undulato-fimbriatus, disjunctus.

T.XVIII Fig. 4. Tab.XX. Fig. 1, 3. *Pes lanceolatus.* Inspice Fig. 4 Tab. XVIII, et Fig. 1 et 3 Tab. XX.

De Mollusco Mactras inhabitante (ait praestantissimus Born) *altum apud Auctores silentium, cum facilius vacuas testas inanis curiositas legat, quam incolarum examini incumbat. Perspicuum inde impossibilem esse hactenus Testaceorum ab inquilinis desumtam distributionem. Innuit Linnaeus animal Tethydibus adnumerandum esse; quod ex obscura quamvis Rumphii descriptione Myae Lutrariae suspicari videtur* [3]. Idcirco Mactrarum Molluscum omni qua potuimus alacritate, atque diligentia perquirere studuimus [4], tum ad naturalem scientiam exornandam, tum etiam ad luculenter ostendendum, quam temere illustris Linnaeus Mollusca libera ad testacea traduxerit, et quam immane discrimen inter illa intercedat, quae ad Tethydis Genus referenda esse constituit.

Exiguam Mactrarum varietatem aequor hujus Regionis gignere deprehendimus; equidem illae ad sequentes tantum species referuntur.

---

(1) *Introduct.* Part. II, Cap. II, pag. 29.

(2) *Ibid.* pag. 30.

(3) *Testac. Musc. Vindob.* pag. 50.

(4) Vide Anatomen Callistae Discoloris pag. 68, et Peronaeae Ramosae, de qua infra.

MACTRA NEAPOLITANA.

Ital. *Mactra Napoletana*. Neapol. *Fava*.

Testae characteres. Testa ovato-trigona, ampla, diaphana, transversim tenuissime striata, zonisque lacteis circumducta; radiis alternis fulvis, atque albescentibus in longum distincta; epidermate nitidissimo obtecta; latere antico hiante. *Tab. XVIII. Fig. 1.*

Testae descriptio. Testa transversim ovata umbonibus exertis trigonam pene formam imitatur. Est ipsa valde ampla, et parum convexa, obductaque epidermate tenuissimo, ac veluti sericeo, nitidoque, quod hac illac facile atteritur. Valvae striis exilissimis transversim exaratae, zonis candicantibus simul nitent, praesertim ad umbones; in longum autem radiis inaequalibus alterne fulvis, atque albescentibus distinguuntur. Margines acuti, ob insignem fragilitatem raro inviolati, in latere antico paullo hiant. Area elliptica longitudine praestans; areola autem brevis, atque lanceolata, paullulum prominet, et carinata est. Concha intrinsecus albicans radios coloratos exteriores translucere sinit.

Ad Mactram Glaucam clarissimi Born quam maxime accedit; quae tamen radiis omnino caret.

Ad cardinis genericas adfectiones perspicue adsequendas Mactram *Neapolitanam* valvis insigniter diductis in Fig. 3 repraesentavimus. *a*, *a* dentes medios complicatos exprimunt, alterum in singula valva: *c*, *e* scrobes amplas illis adjectas, quarum *c* dimidium ligamenti teretis adhuc ei adfixum fovet. *x*, *x* sunt dentes laterales remoti, qui in pares duplicesque *z*, *z* alterius valvae inseruntur. *Fig. 3.*

Historia. Mactris Neapolitanis abundat prae ceteris mare Pausilypi Promontorio circumfluum, quâ quingentos propemodum passus ab illo recedit. Conchae istae arenae innascuntur ad pedis circiter altitudinem, ubi aquae ad quinos ferme passus adsurgunt. Autumnali tempestate ineunte earum piscationem adgrediuntur Conchytae, neque illam intermittunt nisi vere insequenti. Egregii saporis carnes oleo, pipere, sale, et mica panis condiri solent, quemadmodum de plerisque bivalvibus dicturi sumus. Ad juscula etiam paranda a nonnullis usurpantur.

Mollusci characteres. Callista (Discolor) pallii limbo explanato, cirrato; tracheis longiusculis, omnino coalescentibus, cirratis; pede lanceolato.

Inspice Fig. 4 Tab. XVIII. *Fig. 4.*

Discoloris cognomen Callistae huic ea de re adposuimus, quod licet ejus natura eadem jugiter sit, variis tamen coloribus, coccineo nempe, luteo, hyacintino, vel candicante, conspicuam fieri invenimus pro concharum varietate, quas incolit, variisque anni tempestatibus, sicuti postea videbimus.

MOLLVSCI ANATOME.

Tab. XVIII. Fig. 1. Fig. 1 Tab. XVIII exhibet Mactram Neapolitanam A cum suo Mollusco inibi delitescente; tracheis tantum B, C, exertis, ac pede D paullum extra testam producto. Integrum vero Molluscum, valva altera, atque pallii lobo ipsam obvestiente, penitus ademtis, ostendit Fig. 4; ubi *a a* pallii lobus alter in ambitu cirratus; A, B, ambae tracheae coalescentes, atque paullulum exertae; *b b* valvula semilunaris orificio interiori tracheae pallii objecta, infra describenda; *c*, *d*, musculi trachearum retractores, quorum *d* e valva sua avulsus, *c* vero valvae alteri adhaeret. C, D, ambo musculi adductores transversim secti, valvis ad se invicem adducendis destinati; *e* ligamenti teretis pars jam supra declarati [1]. E, F sunt bini dexteri branchiarum lobi; pares namque sinistri a pede G, atque abdomine H fere omnino obteguntur. Summi eorum apices imminent orificio interiori tracheae branchialis B, cujus limbo adfiguntur; imi labiorum *f*, *g*, radices hinc inde attingunt, quarum medium obtinet os *h*. *i i* ovarium indicat maturitati proximum, ventriculum, atque jecur in sui gremio complectens. Ejusdem ima pars microscopio amplificata, atque in ramos plurimos more suo distributa, exhibetur a Fig. 6 sub litteris A B; jecur autem ei subjectum sub littera C: ova, quibus turget, maturitati proxima, et puncto medio translucenti distincta, in quo embryo continetur, ostendit Fig. 7, acutiori microscopio adaucta. Ejusdem microscopii adminiculo jecur praedictum ex plurimis folliculorum acervis conflatum deprehenditur, ut in Fig. 8. Singuli folliculi ulterius amplificati, anisi veluti granum referunt, ut in Fig. 9 cernere est. De ductibus ipsorum peculiaribus, in quos coire videntur, infra disseremus. K demum (Fig. 4.) tendinem exhibet musculi obliqui dexteri, ad abdomen, pedemque spectantis, ut infra declarabimus.

(Marginal notes: Fig. 4. — Fig. 6. — Fig. 7. — Fig. 8. — Fig. 9. — Fig. 4.)

Fig. 5. Quarumdam partium, quas hucusque breviter innuimus, fabrica clarius, atque cumulatius intelligetur ex inspectione Fig. 5, in qua ambo pallii lobi A, B hinc inde penitus explicati repraesentantur. Sunt ipsi, ut jam dictum est, in ambitu cirrati. Limbo alteri musculi orbicularis *a a* periostei initium, sive membranam exilem, et satis firmam *b E*, adhaerentem repraesentavimus, quae supra testae ambitum extrinsecus revoluta, maximam illius partem laxe obducit. *c c*, *c c*, *d d*, *d d* sunt appendices quaedam ejusdem musculi paullulum elevatae; quibus proxime succedit membrana pallii proprie dicta *v v* maculis exilissimis, et vasorum lacteorum propaginibus *x x*, *y y* lente vitrea explorandis, insignita.

---

(1) In Generis hujus descriptione pag. 65.

D est trachea pallii in longitudinem dissecta, punctisque innumeris versicoloribus elegantissimis intrinsecus variegata. Imum ejusdem orificium valvula ampla semilunari *z* communitur; quae fibrillis muscularibus tum in transversum, quam in longitudinem digestis, praedita est, sicuti Figura ostendit, Illae sphincteris vices gerunt ad orificium praedictum pro animalis lubitu penitus obserandum; hae valvulae ipsi deorsum retrahendae inserviunt, prout levis irritationis adminiculo observari potest. Imum quoque orificium tracheae branchialis pari valvula C obtegitur; perque ipsum recti intestini extremitas *e* conspicienda venit, musculo adductori anteriori *ff* proxime imminens; siquidem per tracheam illam foeces eliminantur. G, G postremo sunt utriusque tracheae musculi retractores, in statu naturali valvis adhaerentes; quorum ministerio tracheae ipsae in testae cavitatem ad libitum animantis recipiuntur. *Tab. XVIII. Fig. 5.*

Abdomen, pes, pallium, atque tracheae vario colore identidem infecta conspiciuntur, qui interdum albescens, inde dilute luteus, dehinc foecunditate ingravescente, saturatior evadit, unde tracheae hyacinthinum pene colorem mutuantur.

Branchiarum lobi H, H semiconjuncti, ac in naturali statu apicibus suis limbo imi orificii tracheae branchialis adhaerentes, hic deorsum versus abdomen II revoluti exhibentur, quo et vasculorum lacteorum compages *g g*, *h h*, *i i*, in cisternam *k* undique erumpens, musculoque adductori *ff* superstrata, palam fieret, et similium vasorum *l*, *m*, *n*, *o*, ad branchias spectantium, origo, atque situs oculis subjicerentur. *Fig. 5.*

Partibus Mollusci exterioribus breviter hucusque declaratis, nunc ad interiores pergamus. Idcirco abdomen II, pede mordicus reciso, transversim dissecuimus, quo ovarium exhiberemus partim in massam informem lactescentem *pp* compactum, atque ventriculum, intestina *q q*, aliasque abdominis partes in se involvens; partim in ramos innumeros *rrrr* distinctum, miniaceo colore coruscantes, sicuti foecundatione jam ineunte fieri solet. *s* aesophagum, seu gulam indicat binis ligamentis *t*, *t*, instructam, quibus hinc inde pallio adligatur. *Fig. 5.*

Ovario, atque hepate ex abdomine mordicus avulsis, protinus in conspectum veniunt reliquae partes tum in abdomine ipso, tum etiam in thorace reconditae. A igitur ostendit cor binis auriculis hinc inde instructum, quarum hic unica tantum *o* conspiciendam se se praebet; *bcd* arteriam aortam descendentem in ramos hinc inde distributam, cunctis abdominis, ac thoracis partibus inservientes. Cor uniloculare musculosis lacertis intrinsecus obsitum est, ut in reliquis Molluscis. Idem binis suis auriculis, perinde ac utraque aorta, ascendenti scilicet *a*, atque descendenti *b* instructum, cum praecipuis istius ramis *x*, *y*, *z*, etc. in *T. XIX. Fig. 1.* *Fig. 2.*

Fig. 2 clarius exhibetur. Monere autem juvat tum cor *i*, tum auriculas *r*, *s*, ea ratione contractas fuisse a nobis delineatas, quales in animante jam exanimato inveniri solent; in vivo etenim a sanguinis vi distentae longe ampliores evadunt, alteque tumescentes. Id in ceteris hujusmodi Molluscis pariter obtinere intelligatur.

T. XIX. Fig. 1. Cordi, ejusque auriculis, praesertim dum sanguine turgent, subjacet proxime viscus testaceum gracilissimum *x*, tendines *s*, *s* musculorum abdominalium ferme circumambiens, eorumque motibus obnoxium. Quid de viscere isto sentiendum sit, Parte I Introductionis, Cap. IV, pag. 18 jam declaravimus.

Fig. 1. *e* indicat gulam ventriculo *f* continuam, ex quo oriuntur intestina *i h g*; quae post varios flexus inter musculos abdominis funiculares validissimos *k k k k* etc. sicuti Figura ostendit, desinunt in rectum B C. Hoc aortae descendentis initium ad *v* attingens, ipsam pervadit, perque cordis cavitatem libere permeat, donec tandem ex aortae ascendentis trunco evadens, in tracheam branchialem D se se immittit.

Fig. 1. Ventriculi tunica in appendicem subulatam *l m* producta, stilum crystallinum mox declarandum in se recondit; cujus imam partem a techa, qua obvestitur, *Fig. 3.* omnino liberatam, sub litteris *a b* in Fig. 3 cernere est: reliqua in ventriculum inferiorem, sive rectius ingluviem, se se insinuat. Ad hoc probe intelligendum *Fig. 5.* praestat intueri Fig. 5, ubi *a* aesophagus, sive gula; *bb* ingluvies; *c c* ejusdem appendix, thecam constituens stili crystallini *d e*; utraque in longitudinem dissecta. Fabrica stili hujus eadem est in cunctis hujusmodi Molluscis; eamque in anatome Pholadis Dactyli pag. 47 jam explicavimus. Ad ejus usum quod adtinet satis disputatum arbitramur Cap. III. Part. II nostrae Introductionis, pag. 41.

Fig. 5. Prope apicem *d* stili crystallini laxe adhaerescit sagitta tricuspis *f*, cartilagineam indolem praeseferens, atque exilissima; quae microscopio amplificata con- *Fig. 6, 5.* spicitur in Fig. 6: Cuspides, quibus instruitur, in ductus biliares *g*, *h*, *i* Fig. 5., profunde inseruntur. Hi ductus ab hepatis lobis *k*, *l*, hinc inde oriuntur pari ratione ac illi, qui subjecto ventriculo prospiciunt, ut mox videbimus.

Orificium, cujus via gemini memorati ventriculi inter se communicant, val- *Fig. 5.* vula *s* satis crassa, ac fere cartilaginea, obducitur; et respectivus ipsorum situs, *Fig. 4.* ductuumque praedictorum fabrica ex Fig. 4 haud aegre colligi possunt. Inibi ex ingluvie *a a* partim dissecta caput prominet *b* stili crystallini, cujus alteram cuspidem *c* amputavimus una cum theca *d* ipsum obserante: *e* rursum valvulam exprimit ingluviei orificio objectam. *f g* ventriculi superioris jam dissecti cavitatem ostendit, aesophago *h* continuam; *i* vero pylorum, sive orificium ducens ad intestinum *k*. Denique *x*, *m* sunt bina alia orificia, per quae bilis in ventriculum

prolabitur. Ex *i* ad *m*, sive a pyloro ad ductum biliarem, exporrigitur ligula veluti musculosa *im*, secus intestini praedicti *k* interiorem parietem, cui intime adnectitur, excurrens.

Mirifica ductuum choledochorum fabrica ex hac Figura aperte colligitur; siquidem *no* exhibet alterum ipsorum secundum longitudinem dissectum, atque *T.XIX. Fig. 4.* diligenter explicatum, nec non lente vitrea adauctum ad ejus partes clare patefaciendas. A penitioribus ergo hepatis *npo* recessibus, nominatim vero a singulis ipsius folliculis, ductus excretorii exilissimi ortum ducunt, qui aliis atque aliis, ex similibus folliculorum acervis provenientibus, gradatim coalescentes, in ductus majores tandem conveniunt; e cujus orificiis 1, 2, 3, 4, 5, 6, etc., bilis prolabitur in ductum choledochum *no*; a quo deinde per orificia *x*, *m* in ventriculum effunditur. Ductus hujusmodi choledochi sunt utrinque bini, quorum alter ad ingluviem, alter ad ventriculum tendit, quemadmodum ostendit Fig. 5 sub *Fig. 5.* litteris *m*, *n*. Eorum fines prope ventriculum recisi sub litteris *r*, *r* in Fig. 1 exhi- *Fig. 1.* bentur.

Abdominis partes hactenus declaratae a musculis peculiaribus coërcentur, qui praeter funiculares *kkk* etc. jam supra memoratos, ad quatuor paria redu- *Fig. 1.* cuntur. Et quoniam ipsa ad pedem simul pertinent, sunt singula hinc inde in utroque abdominis, ac pedis latere distributa. Ad ea clare patefacienda, pallii lobos Q, Q transversim amputavimus, partimque divulsimus. Primum par igitur sunt musculi obliqui inferiores E, ejusque socius, in opposito abdominis latere situs: alterum obliqui superiores F F etc.. Hi omnes, quos hic partim discindere oportuit ad interiorem abdominis fabricam illustrandam, tendinibus suis *a*, *a*, *s*, *s* valvarum parietibus prope cardinem, musculosque adductores *y*, *z*, strenue adfiguntur. Tertium par constituunt musculi transversi G etc.: quartum denique musculus rectus H, quique ei opponitur in adversa pedis regione. Tegit cunctos postremo cutis, cujus exiguam partem sub I repraesentavimus.

MACTRA STVLTORVM.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1126.

Ital. *Mactra Mezzana*. Neapol. *Gongola Cannolicchiara*. Angl. *Simpleton's Mactra*.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCLI, Fig. 85.

Da Costa *Brit. Conchol.* Tab. XII, Fig. 3.

Testae characteres. Testa cordiformis, tenuis, ventricosa, nitida, radiis albis *Tab. XVIII. Fig. 10.* inaequalibus in longum, zonis autem lacteis, fulvisque, interdum etiam annotinis accretionibus, transversim distincta; intus purpurascens.

Testae descriptio. Testa cordiformis hinc inde paullo producta, trigonam prope formam adipiscitur satis tumescentem. Valvae nitidae, tenues, atque pellucidae, epidermate fusco saepe obductae, ex livido flavescunt. Radii albi inaequales ab umbonibus ad margines nullo ordine protenduntur; transversim vero tota concha zonis lacteis, atque fulvis, interdum etiam dilute purpureis, exornata cernitur; quibus plerumque accedunt annotinae accretiones aliquot minus inter se mutuo congruentes. Umbones prominentes, nitidissimi. Areola nulla: area plerumque satis prominula. Valvarum cavitas colore saturo purpurascenti spectabilis adparet. Concha recens, atque intemerata, epidermate fusco tenuissimo, ac prope arachnoidaeo obducta invenitur; quo haud aegre abraso, tota concha nitidissima emergit. Valvarum margines sunt adeo tenues, fragilesque, ut facillime labefactentur.

Concha isthaec praecedenti maxime adfinis, differt ab ea luculentissime ob valvas longe tumidiores, formamque ad trigonam prope accedentem, quum illa magis ad ovatam accedat. Insuper ob colorem saturum purpurascentem, quo valvarum cavitas illita est. Differt denique ob eximium valvarum nitorem; Mactra enim Neapolitana, si umbones demas, nonnisi epidermate obducta nitet, eoque abraso, illico rudis evadit. Omitto magnitudinis differentiam, qua haec postrema longe praestat: equidem Mactra Stultorum penitus adulta vix illam excedit, quam Fig. 10 Tab. XVIII repraesentat. Fig. 11 cavam valvae alterius faciem; Fig. vero 12 eamdem concham e parte dorsi oculis subjicit.

Tab. XVIII. Fig. 10, 11, 12.

Praecipuae, quas communiter subit varietates, hae sunt:

(*a*) Tota concha ferrugineo, vel testaceo colore extrinsecus picta, umbonibus violaceis.

(*b*) Concha cinerea, vel livida, radiis albis, umbonibus violaceis.

(*c*) Concha universa tam extrinsecus, quam intrinsecus lacteo candore spectabilis; tumque a Conchytis vernaculo idiomate *Quaquiglia* appellari consuescit.

Historia. Mactra, de qua agimus, in litoribus arenosis nostri maris, cum cis, tum ultra Pharum, frequentissime, atque affluenter occurrit. Sinus Neapolitanus tum ad Theodociam, vulgo *Teduccio*, tum prope Magdalenae Pontem, praesertim quâ Sebethi aquae influunt in mare, uberem gignit earum copiam. Varietas alba, *Quaquiglia* vulgo dicta, nonnisi in sinu Cumano inter Donaces Trunculos invenitur. Complectitur utraque Callistam Discolorem, quam Mactra Neapolitana circumduci declaravimus. Earum carnes arena, qua scatent, detersae, crudae a Conchytis comeduntur; at ad juscula conficienda saepe usurpari solent. Nonnulli sunt, qui eas comedere malunt Ostrearum ritu concoctas, oleoque, pipere, sale, et mica pa-

nis adspersas. Species communis ex hoc *Cannolicchiara* a Conchytis appellatur, quod saporem carnis Solenis Vaginae, vulgo *Cannolicchio*, reddere videatur.

MACTRA LACTEA.

Ital. *Mactra Lattea*.

Testae characteres. Testa trigona, ventricosa, nitida, striis transversis confertisque distincta; latere antico productiore, attenuato; areola, areaque amplis, lanceolatis, in longum striatis. *Tab. XVIII. Fig. 14.*

Testae descriptio. Testa rotundato-trigona, tumidiuscula, nitida, striis transversis, confertis, concinnis, parallelis exarata. Latus posticum rotundatum: anticum aliquanto attenuatum abit fere in mucronem. Umbones trigoni, elegantissimi. Area areolam magnitudine praestat: utraque lanceolata, atque in longitudinem striata. Cardo Generis. Tota concha lacteo candore nitet.

Fig. 14 Tab. XVIII concham hanc repraesentat paullo amplificatam, Mollusci tracheis, pedeque distentis; perraro etenim ad tantam magnitudinem excrescit. Eamdem e parte dorsi, quo areola, areaque paterent, in Fig. 13 exhibuimus. *Fig. 14.* *Fig. 13.*

Historia. Concham istam nonnisi fortuito inter Donacis Trunculi greges, quibuscum promiscue vivit, deprehendere contingit. Molluscum, cui tegumento est, a Callista Discolore Mactram Neapolitanam, atque Stultorum incolente, minus differre comperimus.

MACTRA CORNEA.

Ital. *Mactra a color di corno*. Neap. *Tonninola*.

Testae characteres. Testa exigua, subcuneiformis, depressa, inaequilatera, crassa, laevis, in longum radiata, ac veluti cornea; ad cardinem scrobs nulla. *T. XIX. Fig. 11.*

Testae descriptio. Testa ovato-trigona, depressa, amygdalae magnitudinem vix attingens, corneamque veluti indolem referens. Latus anticum porrectum, attenuatum; posticum longe brevius. Valvas laeves, nitidas, pellucidas, ad discum, cardinemque insigniter crassas, annotinae accretiones, plerumque obsoletae, circumducunt. Margo tenuis, acutus, intus laevis. Area sinuata, recta; areola gibba; apices reflexi. Cardinis dentes medii complicati, perinde ac reliqui valde crassi, praesertim in altera valva; et prope ipsos scrobs nulla, adeout ligamentum simplex Mactris peculiare [1], mediorum dentium sinui utrinque adfixum inveniatur. Conchae color admodum varius, sicuti ex modo dicendis patefiet.

---

(1) Vide Generis descriptionem pag. 65, et Caput V Partis I *Introductionis*, pag. 20.

T. XIX. (*a*) Concha alba, vel sublivida, radio lato nigricante depicta. Tab. XIX Fig. 11. Fig. 11.

Fig. 10. (*b*) Concha nigricans, vel grisea, radio lato albo. Tab. XX Fig. 10.

(*c*) Tota concha nigricans.

(*d*) Concha grisea radiis binis nigricantibus.

(*e*) Concha grisea lineolis angulatis fuscis, vel maculis albis sparsis variegata. Fig. 8. Tab. XIX Fig. 8.

Ceterae, quas omittimus, varietates utpote minus conspicuas, ad eas, quas hucusque commemoravimus, rite traduci possunt.

In cunctis propemodum hujusmodi varietatibus conchae cavitas macula nigricante illita est, et callo veluti testaceo crassescit.

Habitum tantum si conchae hujus respiciamus, ipsam inter Donaces recensendam esse pronuntiabimus; at cardinis compages, atque adfectiones, perinde ac ligamentum simplex, interius cardini adfixum (etsi scrobes deficiant), ad Mactrae Genus referendam esse luculenter ostendunt.

Historia. Etsi pauci sint maris tractus, qui conchas istiusmodi ferant, ibi tamen uberrima ipsarum copia invenitur. Peculiare iis est natale solum in Crateris Neapolitani ora maritima ultra Magdalenae Pontem sita, *le tre Torri* vulgo appellata. Inibi Conchytae nudis pedibus sabulo insistentes prope litus, ac peculiare rastri, reticulique genus manu versantes, cui *Rullo* nomen est, reiteratis, crebrisque impulsibus arenam verrunt, inque reticulum intrudunt. Tenuioribus sabuli granis per reticuli areas iterum in mare delapsis, quidquid concharum est in reticuli fundo remanet. Illarum magnitudo vix interdum ea praestare inve-
Fig. 11. nimus, quam in Fig 11 Tab. XIX delineavimus una cum Mollusci tracheis, pedeque extra concham exertis. Earum carnes eadem prorsus ratione ac Donacis Trunculi usurpari consuescunt.

Etsi Mactrarum species hactenus recensitae Molluscum complectantur, quod ad Callistae Genus refertur, quemadmodum demonstravimus, haec tamen postrema ab iis recedens, nonnisi Peronaeae speciem circumcludit, quam *Ramosam* esse observationes a nobis institutae docuerunt. Idcirco ejus characteres genericos ex pag. 30, ubi eos opportune tradidimus (quod hujusmodi Mollusca in Tellinis, ac Donacibus communiter hospitentur), haurire juvabit. Characteres specificos, atque anatomen in descriptione Donacis Trunculi infra referemus.

GENVS VI.

DONAX.

Ital. *Donace*. Neapol. *Tonninola*. Gall. *Came tronquée*.

Germ. Die Stumpfmuſchel. Belg. *Driehoek–doublet*.

Angl. *Wedge Shell*. Dan. Külesfiället.

Generis characteres. Testa bivalvis margine antico obtusissimo. Cardo dentibus duobus, marginalique solitario, subremoto, ad marginem posticum.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1126.

Generis descriptio. Donacis nomen cuidam Solenum generi, culmos arundinaceos quodammodo imitanti, a priscis Conchyliologiae cultoribus tributum didicimus [1]. Linnaeus tamen conchis illis inter Solenes recensitis, eas Donacis Generi adscripsit, quarum Cardo dentibus binis primariis compingitur in altera valva, quos inter dens alterius valvae inseritur; praeterea valva illa dente gaudet solitario, atque remoto, margini inferiori prope areolae regionem adfixo. Inspice Fig. 13 Tab. XIX. *T. XIX. Fig.* 13.

Conchae istae nonnisi in mari degunt sub arena latitantes. Pleraeque exiguae sunt, formamque obtinent trigonam, vel potius cuneatam; siquidem valvae sensim depressae in latere postico, in antico vero truncatae, cunei formam imitantur. Sunt ipsae vel laeves, vel striatae; quaedam insuper mucronibus horrescunt. Nonnullae radiis versicoloribus exornantur. Animal, cui tegumento sunt, in cunctis, quas perlustravimus, ejusdem Generis esse deprehendimus, quippe quod ad Peronaeam refertur, cujus characteres essentiales tum Cap. II Partis II nostrae *Introductionis*, pag. 29, tum alibi tradidimus [2]. Mare Regioni huic nostrae circumfluum plures alit Donacis species, quarum pleraeque sunt adeo frequentes, atque copiosae, ut toto anni tempore gratam escam, incolis praesertim Urbis Neapolis, suppeditare non desinant. Species has universas hic modo describere, earumque historiam concinnare exordiemur.

---

(1) Plin. *Hist. Nat.* lib. XXX, cap. 53.

(2) In descriptione Generis Tellinae, pag. 30 hujus Ordinis.

DONAX TRVNCVLVS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1127.
Ital. *Donace comune.* Neapol. *Tonninola*. Gall. *Came tronquée radiée.*
Germ. Stumpfchen. Belg. *Stomp Zaagertje*. Angl. *Yellow Donax*.

Bonann. *Recreat.* Class. II, Fig. 47.
Lister *Hist. Conch.* Tab. CCCLXXVI, Fig. 217.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXXVIII, Fig. O.
Adanson *Coquill. du Séńég.* Tab. XVIII, Fig. 1.
Pennant *Brit. Zool.* Tab. LV, Fig. 45.
Da Costa *Brit. Conchol.* Tab. XIV, Fig. 3.

T. XIX. Fig. 12. *Testae characteres*. Testa cuneiformis, postice rotundata, atque depressa; antice angulata, striis exilissimis obsoletis in longum distincta; limbo interiori crenato; intus purpurascens.

Testae descriptio. Concha subtrigona, inaequilatera, nitida; latere postico elongato, rotundato, depressiusculo; antico longe breviori, oblique veluti reciso, ac in angulum paullo elatiorem desinente. Valvis glabris crassisque epiderma firmum arcte adnatum eximium nitorem tribuit. Striae plurimae, tenuitate spectabiles, confertissimae, atque in longum productae per illud translucent. Limbus interior crenis exilibus insculptus cernitur, praeter posticum, qui est integerrimus. Cardo: dentes tres primarii, quorum medius, valvae alteri adnatus, est apice bifidus: laterales nulli. Tota concha pallide griseo colore picta radiis aliquot subcroceis in longum exornatur. Intus ut plurimum satura purpurea, vel ex purpureo albescens; nonnumquam roseo colore veluti nebulosa adparet.

Fig. 12. Figuram 12 Tab. XIX inspicientibus conchae hujus effigies occurret cum Mollusci pede, tracheisque distentis. Valvas inanes paullo diductas, quo cardinis *Fig. 13.* dentes paterent, exhibet Fig. 13.

Etsi concha isthaec griseum colorem communiter reddat, ut supra dictum est, complures tamen in hoc subit varietates, quarum specialiores tantum hic enumerabimus.

(*a*) Tota concha ex albo viridescens.
(*b*) Purpurascens radiis subflavis.
(*c*) Fulva radiis albis, vel flavescentibus.
(*d*) Tota concha fulva.

Historia. Nullum est fortasse apud nos Testaceorum genus, quod tam copiose omni in anni tempestate occurrat, quam Donaces Trunculi. Equidem nulla est propemodum anni dies, in qua hujusmodi Testacea venalia non prostent in foro piscatorio, ubi communiter emuntur ad juscula paranda, vel ad pastillos omnigenos condiendos. In Sinu Cumano arena obruta vivunt, quae albo rubroque colore variegata nitet. Haud altius quam ternos, quaternosve digitos sub illa delitescunt quâ summum aquae fastigium vix ad passum adsurgit. Rastri reticulique genus, quo Conchytae illa effodere consuescunt, *Rullo* communiter appellatur. Rastri ferrei mucrones, sive dentes, quibus arenam verrunt, ceteris latiores, sunt adeo inter se proximi, ut conchis exiguis per eorum intervalla in mare iterum decidentibus, nonnisi proceriores capiantur.

Mollusci characteres. Peronaea (Ramosa) tracheis longiusculis, crassis, laevibus; cirris tracheae anterioris ramosis; pede compresso, lanceolato, sinuoso (1). *T. XIX.*
Inspice Fig. 12 Tab. XIX. *Fig. 12.*

MOLLVSCI ANATOME.

Peronaeam Ramosam concha sua circumclusam, pede dumtaxat, tracheisque protensis, in Fig. 12 Tab. XIX conspicere licet. Ad ejus autem fabricam cumulate dignoscendam, valvam alteram avulsimus una cum pallii lobo illi adnato; *Fig. 12.*
Molluscumque valvae alteri adfixum e latere delineavimus in Fig. 14. a, a musculos exprimunt valvarum adductores; b, c vero tracheas, quarum b, ad pallium pertinens, altera praestare conspicitur. Utriusque rictus d, e cirris circumcluditur: qui ad tracheam pallii spectant, in ramos multiplices, polyporum more, dispertiuntur; qui branchialem respiciunt, simplices sunt, aliquatenus subulati, atque rugosi. Hos ad x in Fig. 18 tracheae ipsi amplificatae incumbentes; illos ad y in Fig. 17 conspicere licet: qui porro ad libitum animantis ea ratione super rictum identidem flectuntur, ut illum ferme occludant, imaginemque referant in Fig. 16 exaratam. Rictus, cirrique isti croceo colore offunduntur, qui in ductibus 1, 2, 3 etc. respirationi addictis aeque refulget. Tracheas, cirrosque hujusmodi, Microscopio acutissimo exploratos, tracheis ipsis primum dissectis, superque crystalli laminam expansis, Fig. 19, et 20 adamussim repraesentant. In- *Fig. 14.* *Fig. 18.* *Fig. 17.* *Fig. 16.* *F. 19, 20.*

---

(1) Gravissime hallucinatus est clarissimus Born quum ex pedis tantum effigie ab Adansonio relata judicavit, animantem Donacis Trunculi Cardiorum incolae penitus adsimilari. Consulatur eximium ejus Opus *De Testaceis Musei Vindobonensis*, pag. 52.

T. XIX. Fig. 19. ter cirros crassiores procerioresque *a*, *b*, *c* tracheae pallii (Fig. 19) alii exiliores, humilioresque *d*, *e*, *f* interponuntur, ab exteriori tracheae facie, secus ac illi, erumpentes. Trachea ista intrinsecus lineis croceis in longum usquequaque distinguitur, quarum praecipuae amplioresque *g*, *h*, *i* lineis exilissimis perpetuo Fig. 20. flexu ad angulum sinuatis exornantur. Trachea branchialis *k k* (Fig. 20) praeter radios aliquot longitudinales, tessulis croceis elegantissimis, quas in Figura conspicere est, intus conspersa cernitur.

Musculi trachearum retractores ovati, ampli, valvisque adfixi, fibris parallelis elegantibus, sicuti de Peronaea Cristata dictum est, compinguntur. Eorum Fig. 14 alterum a branchiis partim obtectum, ad *i* in Fig. 14; amplificatum vero, par- Fig. 15 timque abscissum, ad *m n* in Fig. 15 cernere juvat.

Fig. 15 Pallii limbus *d*, vel *f*, in ambitu duplex: exterior conchae marginem attingit, eique adhaeret; interior croceo colore nitens, cirris teretibus confertissimis cingitur *h f*, etc.. Hic interdum adeo protenditur, ut conchae marginem excedat. Cirri porro praedicti lente acuta conspecti dum animal illos erectos gerit, et fistulosi, et rictu divaricato, atque subconico, et limbo veluti fimbriato instructi esse cernuntur; nobisque cunctos eorum motus tunc temporis lentis auxilio percuriose contemplantibus illud conspicere datum est, quod aqua Mollusco circumflua ab illo per cirros subinde attrahatur; tenuissimis pulvisculi granis aquae innatantibus aperte illud ostendentibus; ipsa etenim cum aqua simul attracta, propter rictus cirrorum angustiam ab illis absorberi non potuerunt. Hinc pro comperto illud statuimus, quod Capite III Partis II *Introductionis*, pag. 42 nos suspicatos esse declaravimus; nimirum Mollusca hujusmodi ea ratione natura esse comparata, ut praeter nutrimentum ventriculo ingestum, per pallii cirros praesertim, aquam, qua ali possint, pro sui lubitu absorbeant; ac proinde cirros istos veluti totidem organa esse respicienda, ad peculiare nutritionis genus animantibus illis suppeditandum addicta.

Fig. 15 Fibula muscularis utrumque pallii lobum *d*, *f* simul conjungens, ac essentialem characterem Generis constituens, quemadmodum pag. 31 explicatum jam est, ad *r* in Fig. 15 cernere licet. Fibulam hanc qui probe norit, facile intelliget unde fiat, ut conchae omnigenae Peronaeis obsitae vix hiare videantur.

Fig. 14 Branchiae *m*, *n* etc. quadrilobae, semiconjunctae, exilissimae, apicibus summis tracheae branchiali *b* adnascuntur: earum lobi *m*, *n* etc. inaequales: inferiores longe minores. Striae, quibus exarantur, vix lente acuta conspicuae. Labia *s*, *s* etc., longiuscula, pyramidalia, ori circumposita. A abdomen, pesque lanceolatus, depressus, an- Fig. 12. ceps, margine imo summoque communiter sinuosis, ut in Fig. 12 delineatum vides,

Haec ad exteriorem partium formam; nunc ad interiora pergamus. Quod ut rite fiat, abdomen, atque thoracem, pallii lobo altero prius discisso, quâ late patent amputavimus; et viscera in illo contenta, ac in propatulo posita, una cum ceteris animantis partibus, ultra naturalem magnitudinem adauximus in Fig. 15. *T. XIX. Fig.* 15. *a* exprimit ventriculum, cujus fundus *c* in appendicem subulatam *cc* productus, thecam obducit stili crystallini ut in Callista Discolore (1). Stilus hujusmodi eximia longitudine praestans, et maxime elasticus, summo apice in ventriculum intrusus, sagittam tricuspidem usitato more gerit (2). Ex ima ventriculi parte intestinorum tractus *ees* erumpit, qui longe brevior, minusque circumvolutus ac in Peronaea Cristata (3), ex abdomine emergit, dorsumque animantis superscandens cordis cavitatem pertransit, inque tracheam inferiorem *b* faeces evolvit. Ventriculus ab hepate *iii*; intestina partim ab hepate, partim ab ovario *xxx* gestationis tempore obvolvuntur. Cuncta vero perstringunt, inque suo situ valide firmant tum musculi abdominales, tum funiculares proprie dicti, quorum compages, atque dispositio, a ceteris, quos recensuimus (4), minus differunt.

Hepar amplissimum, ex fulvo viridescens, folliculis ovato-oblongis in racemos coactis conflatur, quorum acervum Microscopio adauctum Fig. 22 repraesentat. *Fig.* 22. Per hepatis substantiam vasa sanguifera ampla, ac ramosissima perreptare, folliculosque interea subire, lente conspeximus; sicuti in Anatome animantis Cardii Rustici pag. 21 enucleate exposuimus.

Gestationis tempore totum hepar ovarii propaginibus obvolvitur ut in Fig. 21. *Fig.* 21. Ovarium fistulosum ut in reliquis hujusmodi vermibus, ac immenso ovorum numero infartum. Hoc vere praesertim evenire novimus. Ipsum autem mense Octobri perquisitum ne perspicuum quidem esse deprehendimus.

Cor *o* flavescens, pericardio tectum, auriculisque *z*, *z* insignitum, vasis sanguiferis gaudet ab iis non dissimilibus, quae in Peronaea Cristata obtinere demonstravimus (5). *Fig.* 15.

DONAX SEMISTRIATA.

Ital. *Donace Semistriata*. Neapol. *Tonninola*.

Testae characteres. Testa cuneiformis, latere postico rotundato, depresso, laevi; antico angulato, striis decussatis, punctisque distincto; areolae regione transversim oblique striata; margine crenato; intus purparescens. *T. XIX. Fig.* 17.

---

(1) Conferatur ejus Anatome in Articulo Mactrae Neapolitanae, pag. 70.

(2) Ibid. (3) Confer ejus Anatomen in Articulo Tellinae Planatae, pag. 34.

(4) Ibid. pag. 33. (5) Consule ejus Anatomen, pag. 35.

Testae descriptio. Testa subtrigona, inaequilatera, nitida; latere postico elongato, rotundato, laevi; antico breviori, tumidiori, angulato, ac veluti oblique reciso. Hoc dumtaxat striis transversis crenulatis, exilioribus autem in longum, insignitur; quae striae, ubi inter se mutuo decussantur, punctis excavatis, nonnisi lente conspicuis, veluti insculptae adparent. Areae regio, sive margo inferior lateris antici, striis transversis undulatis oblique exaratur. Limbus interior crenis exilibus distinguitur, in latere postico sensim evanescentibus. Ad cardinem terni dentes primarii, quorum medius ex valva altera producitur; laterales in margine antico illis ferme contigui. Tota concha ex flavo viridescit; et nonnunquam radiis obsoletis picta est: intus purpurascit.

Inter concham istam, et Donacem Trunculum, maxime inter se adfines, hoc solum discrimen intercedit, quod in ista latus anticum striis gaudeat decussatis, punctisque excavatis; quod striae simul obtineant in areae regione; quod demum in cardine dentes insint laterales.

Historia. Cum Donace Trunculo promiscue vivit, idemque pariter Molluscum tegit. Quare simul cum illa a Conchytis expromitur rastri adminiculo; at nonnisi raro; maxima equidem est earum inopia.

DONAX VENVSTA.

Ital. *Donace Venusta*. Neapol. *Tonninola*.

T. XIX. Fig. 23. *Testae characteres*. Testa cuneiformis, omnino laevis, nitida, latere postico rotundato, antico angulato, denticuloque ad cardinem insignito; radiis binis flavis in longum distincta; areae regione transversim oblique striata; margine crenato; intus purpurascens.

Testae descriptio. Testa subtrigona, inaequilatera, omnino laevis, nitidaque. Latus posticum elongatum, rotundatum; anticum brevius, oblique veluti recisum, inque angulum desinens. Areae regionem obtinent striae obliquae, undulatae, transversim productae. Limbus interior crenis exilibus insculptus est, ad latus posticum sensim evanescentibus. Cardo dentibus ternis compingitur; lateralibus in latere antico parum remotis. Tota concha pallide violacea, vel fulva, radio gemino flavescenti, interdum niveo, ab apice ad marginem producto, decoratur; intus purpurascit.

Ex quibus intelligitur Donacem Venustam nonnisi ob strias areae regionem occupantes, denticulosque laterales, differre a Donace Trunculo; quemadmodum a Donace Semistriata ob striarum, punctorumque defectum in latere antico insigniter discriminatur. Insuper ejus forma quodammodo concinnior elegan-
Fig. 24. tiorque adparet. Ejusdem imaginem a parte dorsi in Figura 24 exhibuimus.

Historia. Idem est ei natale solum, idemque simul Molluscum ac Donaci Trunculo, Donacique Semistriatae. Huic autem magis adsimilatur ob sui inopiam, satis enim infrequenter occurrit inter ingentes acervos Donacis Trunculi.

DONAX RHOMBOIDES.

Ital. *Donace a forma di rombo*.

Testae characteres. Testa rhomboides, convexiuscula, inaequilatera, distorta, transversim incondite striata, rudis; latere antico brevissimo, superne subacuto; postico lato, tenuissimo, amplo sinu excavato distincto. *Tab. XV. Fig. 13.*

Testae descriptio. Testa rhomboides, paullo convexa, inaequilatera, rudis. Valvae fere inaequales, inaequaliterque distortae, striis transversis inelegantibus exaratae cernuntur. Latus anticum extra modum breve desinit superne in mucronem quodammodo rotundatum: posticum latum, ac satis depressum, in altera saepe valva sinu amplo pyramidali ab umbonibus descendente insignitur. Secus ejusdem latera in conchis junioribus aculei minimi seriatim conserti adparent, ut in Fig. 12, et 16; qui in adultioribus mordicus atteruntur. Tota concha *Fig. 12, 16.* crusta veluti calcarea albescente cooperitur, quae hic illic facile detrita, corneum conchae colorem conspicuum reddit. Intrinsecus albida, nitidaque. Cardo generis: dentes laterales nulli.

Mirum quanta varietas in quibusdam conchae hujus adfectionibus! Valvae interdum tenues, glabrae, candidae, fere aequales; interdum vero crassae, annotinis accretionibus insignes, epidermate flavescente, vel atro partim tectae; latere antico mucrone acutissimo, margineque superiori profunde sinuato; adeo demum distortae, atque inaequales, ut sinistra sesquialtera sit dextera. Cunctas istas differentias in senescentibus obtinere deprehendimus. Geminam tantum varietatem in Tab. XV delineavimus, ubi Fig. 13 Donacem Rhomboidem exhibet *Fig. 13.* senio correptam; Fig. 12 eamdem juniorem, aculeis inter *a*, et *a* seriatim dige- *Fig. 12.* stis, byssoque *c* (cujus adminiculo saxis, vel conchis adfigitur) extra concham protenso; demum Fig. 16 hanc postremam refert e parte dorsi. *Fig. 16.*

Concham hanc ad Mytilos retulit Linnaeus, eique *Rugosi* cognomen indidit. Fabricius ex adverso illam inter Myas conscribendam esse censuit. At denticulus exertus ad cardinem, defectusque hiatus in plerisque hujusmodi testis, neutram clarissimorum Virorum opinionem nos probare sinunt. Denticulus cardinalis nonnisi in testis labefactatis deesse invenitur; hiatusque in altero latere in iis tantum obtinet, quae ultra modum a regulari conchae forma abludunt, ut

supra monuimus. Denticulus ergo ad cardinem, et latus obtusum, ac veluti transversim sectum, illam inter Donaces referendam esse docuerunt.

Historia. Plicas subit Tethydis Coriaceae, vel in cryptis latet, quae inter Ostrearum, aliorumque Testaceorum acervos inesse consuescunt. Eas item Pinnis Rudibus, Fucis, aliisque marinis stirpibus in pelagi fundo delitescentibus, adligatas reperimus.

Mollusci characteres. Hypogaea (Barbata) tracheis binis disjunctis, lon-
T. XIV. giusculis; ligula subulata, barbaque byssina radicante ad ejus radicem instructa.
Fig. 16. Inspice Fig. 16 Tab. XIV.

MOLLVSCI ANATOME.

Animantem, quem Donax Rhomboides circumducit, seu Hypogaeam Barba-
Fig. 16. tam, concha sua exemtam e latere ostendit Fig. 16 Tab. XIV. *abc* est pallium limbo suo circumundique coalescens, hiatu prope medio *e è* pro barba extrudenda. *m*, *n* tracheae geminae, divisae, crassae, cirratae, e quarum radice memdrana fusca, rugosa, exilissima, producitur, anticam conchae partem intrinsecus obvestiens, sicuti in Hypogaea Verrucosa [1]. Dexteram hujus membranae lamellam ad *i b* cernere licet.

x x capita exprimunt musculorum adductorum, quibus, praeter musculos trachearum retractores, de quibus in Anatome Hypogaeae Verrucosae pag. 43 dictum est, conchae valvae ad animantis lubitum comprimuntur.

Ex abdomine vix prominente barba veluti byssina, seu filorum sericeorum fasciculus *d* erumpit; qui Microscopio perspectus, funiculis plurimis teretibus, atque diaphanis, ex uno trunco crasso, validoque (ut de Mollusco Mytili Edulis postea demonstrabimus), ramorum instar exortis, constare deprehendimus. Singulorum apices acetabulis instructi, quorum formam in Anatome nuper commemorata conspicere licebit. Monebimus modo hujusmodi acetabulorum adminiculo Hypogaeam, de qua agimus, et conchis variis, et stirpibus marinis, et zoophytis omnigenis valide adligari.

Prope radicem barbae byssinae prodit ex abdomine ligula *s* exigua, ac subulata, pedis munus veluti absolvens; siquidem modo contrahitur, intraque concham recipitur; modo exerta, atque producta, hac illac se se inflectere valet.

---

(1) Conferantur ea, quae dicta sunt in pag. 43, Ordinis I.

Paullo infra ligulam, prope musculum adductorem inferiorem, os de more locatur. Ventriculum, ac intestinorum partem usquequaque complectitur hepar; quod satis amplum, ac viridescens, folliculis oblongis, in acervos racemosos de more coactis, compingitur.

Ovarium ramosum, flavescens, hepatique constratum, ovis prope maturis turgescere comperimus mense Novembri jam ineunte. Laevam ejus partem, per *T. XIV.* abdominis tegumenta, palliumque translucentem, inter *y* et *z* cernere licet. Re- *Fig.* 16. liquarum partium fabricam ob fragilissimam earum compagem, atque tenuitatem, nullo negotio perquirere datum est.

Animantis hujus concha inclusi imaginem dumtaxat dedit Otho Müller in sua *Zoologia Danica*, Tab. LXXXVII, Fig. 2; at ejus anatome cunctis adhuc ignota.

DONAX IRVS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1128.

Ital. *Donace Increspata*.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. XCV, Fig. A.

Testae characteres. Testa subovata, fragilis, latere antico longiore, mutico, *Tab. X.* depressiusculo; postico tumido, rotundato; bracteis transversis, elevatis, mem- *Fig.* 1. branaceis, striisque exilibus in longum distincta.

Testae descriptio. Testa exigua, fere ovata, tenuis, inaequilatera. Latus anti- *T. XIX.* cum alteri in longitudinem praestat. Hoc satis tumidum margine gaudet rotun- *Fig.* 25, 26. dato, penitus clauso; illud vero longe depressius, tenuius, et veluti truncatum, marginibus diductis modice hiare conspicitur. Margines hi plerumque reliquis crassiores sunt. Lamellae testaceae, tenues, paullisper exertae valvas transversim exornant; quae simul striis confertis exilibus in longum exaratae cernuntur. Ad cardinem bini denticuli acuti, quorum alter est magis exertus. Ligamentum exiguum. Totius testae color albescens.

Concha haec haud majus subit incrementum, quam in Fig. 25 Tab. XIX ex- *Fig.* 25. pressum vides. Communiter autem Figuram 1 Tab. X, cujus dorsum in Fig. 2 de- *Tab. X.* lineavimus, minus excedere consuescit. *Fig.* 1, 2.

Historia. Testam hanc in marmoreo saxo intrusam deprehendimus ad Theodociam, vulgo *Teduccio*. Ea vero ratione intuentibus se se conspiciendam praebebat, qualis adparet in Fig. 3; ubi ipsarum aliquot in saxeis latebris receptas ad *Fig.* 3. vivum delineavimus. Latebrae porro magnitudo, atque forma in marmoris frusto (Fig. 4) in longum secto exhibetur; haud secus namque, quam saxum infringen- *Fig.* 4. do, istiusmodi conchae ex illa educi possunt, quum latebrae hiatus concharum

crassitiem minus attingat. Mirum sane inter quamplurimas hujusmodi testas nullam umquam Mollusco suo instructam se se nobis obtulisse, sed cunctas inanes. Quo factum est, ut illius naturam, atque adfectiones omnino ignoremus.

GENVS VII.

VENVS.

Ital. *Venere*. Gall. *Conque de Venus*. Germ. Die Venuſmuſchel. Belg. *Kousdoublet*.
Angl. *Venus Shell*. Dan. Venuſſiallet.

Generis characteres. Testa bivalvis labiis margine antico incumbentibus. Cardo dentibus ternis, omnibus approximatis, lateralibus apice divergentibus. Area, areolaque distincta.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1128.

Generis descriptio. Inter cordatos naturalis Historiae cultores receptissimus mos est illas rebus naturalibus denominationes tribuere, quae vel earum indoli, natalique loco, vel peculiaribus earumdem adfectionibus convenire videntur. Hinc Tritonis, Nereidis, Tethydis, aliaque similia nomina marinis rebus indita esse novimus. Id igitur caussa fuit, cur *Veneris* nomen huic concharum Generi indiderit praeclarus Linnaeus; Venerem quippe, Diei Caelique filiam, e spuma maris ortam fabulose nimis Poëtae finxere; unde *Aphrodites* appellationem consequuta est. De fabulosa hujusmodi origine sic paucis cecinit Ausonius:

Orta salo, suscepta solo, patre edita caelo.

Tab. XX. Fig. 2. Characteres Generi huic peculiares ii esse perhibentur, quod scilicet cardo dentibus ternis in proximo positis in singulis valvis compingatur; latusque conchae anticum *area*, posticum *areola* insignitum sit. Ceterum conchae istae tum forma, tum magnitudine, tum valvarum adfectionibus a se invicem discriminantur; quum aliae sint ovatae, aliae cordiformes, aliae orbiculatae; quaedam valde amplae, quaedam autem exiguae: aliae glabrae, nitidaeque, aliae striatae, lamellosae, verrucis distinctae, vel sulcatae; aliae reticulatae; aliae demum mucronibus horrentes: pleraeque venustis coloribus pictae deprehenduntur. In tanta rerum varietate nonnisi concharum cardines, ac pene omnium Molluscorum eas incolentium natura, jugiter inter se convenire videntur; cunctas enim hujusmodi conchas, quas perlustrare facultas fuit (Venere Exoleta tantum excepta), animantibus ejusdem generis praeditas esse reperimus. Genus hoc in nova methodo zoologica a nobis constituta, ad secundam Familiam spectat Molluscorum subsilientium; eique *Callistae* denominationem indidimus ob insignem ve-

nustatem, qua pleraque hujusmodi animantium superbire videntur. Notas Generis peculiares tum Capite II Part. II nostrae *Introductionis*, pag. 30, tum in descriptione Generis Mactrae, pag. 66 adcurate praefinivimus. Molluscum Veneris Exoletae dumtaxat a reliquis dissimile comperimus, adeout novum, ac peculiare Genus pro illo constituere debuerimus; cui ob pedis formam *Arthemidis* nomen tribuimus, ut alibi dictum est [1]. Notae essentiales, quibus distinguitur, hae sunt:

Tracheae binae fistulosae.

Pallii limbus undulato-fimbriatus.

Branchiae divisae, apicibus superioribus tantum conjunctae.

Pes semilunaris.

Testacea isthaec arenosa colunt loca, maris litori propinqua, ut de ceteris dictum est, quibuscum et animali oeconomia, et moribus simul convenire deprehendimus. Ingens ubique est in utraque Sicilia eorum numerus, prope ut fidem excedat. Species inter ipsa obtinentes pro majori claritate in quatuor Familias dividuntur; nimirum in conchas *subcordiformes muricatas; in subcordiformes non muricatas;* in *ovatas latere antico subangulato*, et in *subrotundas*. Quas mare Regioni huic circumfluum, gignere deprehendimus, more nostro enumerare, ac describere adgrediemur.

* Subcordiformes non muricatae.

VENVS CHIONE.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1131.

Ital. *Venere Chione*. Neapol. *Fasolara*. Tarent. *Camadia di luna*.

Gal. *Came marquée de verges*. Germ. Die Spielmuschel. Belg. *Bruine Zonnstraal*.

Rumph. *Thes.* Tab. XLII, Fig. G.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXXVI, Fig. A.

Regenfus. *Collect.* Tab. VIII, Fig. 17.

Da Costa *Brit. Conchol.* Tab. XIV, Fig. 7.

Testae characteres. Testa lata, subovata, tumidiuscula, transversim obsolete sulcata, nitidissima; radiis fulvis, atque subalbidis in longum distincta; areola lanceolata impressa, area tumida; margine integerrimo. *Tab. XX. Fig. 1.*

Testae descriptio. Concha ovato-cordiformis, valde ampla, inaequilatera, tumidiuscula, sulcis transversis parum conspicuis exarata, nitidissima, atque elegantissima. Radii plurimi inaequales modo fulvi, modo sordide albidi, ab um-

(1) Cap. II, Part. II *Introduct.* pag. 30.

bonibus ad marginem protenduntur; nonnumquam tessulae rufescentes, ac veluti interruptae valvas in transversum circumducunt, praesertim ad umbones. Hi satis concinni, ac omnino laeves, apices habent reflexos. Areae regionem tumidiusculam obtinet ligamentum amplum: areola magna, lanceolata, ac veluti impressa. Limbus interior omnino laevis, cavitasque albescens. Concha universa epidermate obducitur nitidissimo, quo illa eximie nitet. Hoc secus limbum adeo crassum evadit, ut saepenumero instar lamellarum glutinis exsiccati inde avelli queat. Ad umbones praesertim facile atteritur, vel saltem labefactatur.

Tab. XX. Fig. 1, 2. Concham istam e latere in Fig 1 Tab. XX delineavimus. Eamdem valvis diductis exhibendam decrevimus in Fig. 2, quo et cardo *a a*, et impressiones musculorum adductorum *b*, *b*, *c*, *c* in concha relictae luculenter paterent [1].

Ob valvarum colorem summopere variare deprehenditur. Quamvis enim colorem supra declaratum communiter reddat, saepe tamen subroseo, vel subpurpureo colore insigniter enitescit; qui aliquando simplex, nonnumquam in longum venuste radiatus. Quaedam interdum insigniter pallescunt; aliae maculis, tessulisque saturis, vel fulvis, vel subrubris illitae adparent, praesertim juniores, quae ceteris speciosissimae sunt, nullisque sulcis exaratae.

Historia. Testaceum hoc tum ob concham, qua compingitur, tum ob Animantis inibi inclusi venustatem, ut postea demonstrabimus, speciosissimum, pluribus in oris maritimis Regionis nostrae invenitur arena obvolutum. Abundat ipsis Tarentum, magisque fortasse piscosa Pausilypi ora in Cratere Neapolitano, ubi hiberna solum tempestate, rastri, reticulique adminiculo a Conchytis arripiuntur. Uberes eorum carnes, venustate praestantissimae, palato simul redduntur maxime suaves; et licet multifariam, sicuti de ceteris vel diximus, vel dicturi sumus, parari possint; nos tamen iisdem sale, pipere, ac petroselino conditis cum mica panis; oleoque, vel butyro aspersis, indeque Ostrearum ritu concoctis, prae ceteris delectamur.

Mollusci characteres. Callista (Coccinea) tracheis binis proceribus, ad apicem propemodum simul adnatis, laevibus; limbo pallii elegantissime fimbriato; illoque, ac pede lanceolato, coccineo colore coruscantibus.

Fig. 1. Inspice Fig. 1 Tab. XX.

---

(1) Impressiones istae in omnibus conchis obtinere deprehenduntur, ex quibus tendinum situs, atque numerus, quorum adminiculo Molluscum valvis adligatur, facillime dignosci possunt. In nonnullis signa insuper adparent abdominis, atque pedis in concha recepti.

MOLLVSCI ANATOME.

Fig. 1 Tab. XX inspicientibus Venus Chione adparebit Callistam Coccineam tegens, pallio, tracheis, atque pede extra concham eductis. Animantem hunc testa sua exutum supinumque in Fig. 3 delineavimus; pronum vero in Fig. 6. Pallium AABB limbo gemino exornatur; exteriori *aabb* lineari, angustissimo, miniaceo, musculum orbicularem circumambiente; interiori *ccee* late fimbriato, saturo coccineo, undoso, prope musculum adductorem inferum *dd* in cirros desinente. Limbus hic in binas abit veluti appendices liberas *m, m*, cristatas, muticas, e trachearum regione hinc inde prolatas. Has in Fig. 5 ad *y, y*, et in Fig. 6 ad *z, z* paullo contractas, perinde ac cristam mediam, seu dorsalem *h*, conspicere juvabit. Persaepe fimbriae undatae limbi hujus se se ad invicem excipiunt spectaculo jucundissimo: raro unda evanescit, limbusque omnino explanatus evadit, quemadmodum in animante jam exanimato frequenter evenire solet. *Tab. XX. Fig. 1.* *Fig. 3, 6.* *Fig. 3.* *Fig 5, 6.*

Pallii velabrum *ff* flocculis veluti niveis innumeris, punctisque minimis fuscis saepe interspersum cernitur; ac inter ipsa plurima vascula exilissima in surculos varios distributa, crebrisque anastomosibus simul coëuntia, repere conspiciuntur, ut ad *rr, ss* in Fig. 6. *Fig. 3.* *Fig. 6.*

Insident summo pallio geminae tracheae T fistulosae, laevesque, in longitudinem simul coalescentes, apicibus dumtaxat disjunctis, cirrisque subulatis circa rictus obsitae. Easdem musculis binis *g, g* validissimis, lanceolatis, albescentibus Natura communivit, qui hinc conchae valvis strenue utrinque adnati, inde vero secundum trachearum longitudinem sursum prolati, illis pro animantis lubitu in concham retrahendis inserviunt. Totum animantis corpus tum musculo orbiculari pallii, de quo supra dictum est, tum musculis valvarum adductoribus *nn, yy*, tum denique tendinibus musculorum obliquorum abdominalium, quos infra declarabimus, valvis strenue adhaerescit. *Fig. 6, 3.* *Fig. 6.*

Imum utriusque tracheae ostium geminis valvulis semilunaribus verticaliter dehiscentibus instruitur. Tracheis dissectis cunctae in conspectum veniunt, quemadmodum in Fig. 5 expressum vides. *a, a* ad tracheam superiorem, *b, b* ad inferiorem spectant: eas ad *h, h* in situ naturali in Fig. 3 cernere est. Sunt ipsae adeo irritabiles, ut levi stimulo percitae confestim contrahantur, pernicique motu trachearum hiatum occludant. Quod ad libitum animantis pariter fieri quisque intelligit. In tracheam inferiorem A rectum intestinum *c* erumpit, sicuti in ceteris hujusmodi Molluscis fieri solet. *Fig. 5.* *Fig. 3.* *Fig. 5.*

Utriusque tracheae facies interior tessulis innumeris linearibus, interruptis, niveo candore nitentibus, ac in transversum digestis exornatur, et speciosissima adparet. Exterius leviter flavescunt, apicibus, cirrisque nigricantibus.

Tab. XX. Branchiarum lobi *n*, *n* utrinque gemini abdomen D circumambiunt, ultraque
Fig. 3. illud limbo interiori simul adnati, apicibus suis tracheae inferioris ostio ferme
Fig. 6. incumbunt. Lobi inferi superis breviores sunt, sicuti ad x, x in Fig. 6 cernere licet. Cuncti luteo, vel fulvo colore offunduntur; eorumque fabrica a ceteris non
Fig. 3. differt. Imi apices duplex labiorum par 1, 1, 2, 2 attingunt. Sunt ipsa pyramidalia apicibus acutis, transversim striata, orique *y* contermina.

Fig. 3. Pes E lanceolatus, venusteque coccineus, ex abdomine D albescente, ac fere tetragono procedit, quocum angulum fere rectum efficit quum iners consistit, vel animante jam exanimato. Ceterum multiformis evadit, ut de reliquis dictum est.

Abdominis, pedisque musculos praecipuos partim detectos delineavimus in
Fig. 4. Fig. 4. F, G, sunt ventilabriformes, seu obliqui abdominales, utrinque gemini, tendinibus suis *m*, *n* etc. valvis adnati. *ss*, *tt* sunt transversi funiculares. H H est rectorum alter; I vero alter obliquorum ad pedem spectantium. Cuncti a cute *ff* usquequaque teguntur.

Imo abdomini subjacet os ut nuper innuimus. Succedit ei aesophagus, seu
Fig. 4. gula angusta *a*, desinens in amplum ventriculum *b*, in quo, praeter pylorum, quatuor insunt praecipua orificia, per quae bilis ab hepate in ventriculum ipsum levi pressione facta erumpere conspicitur. Muniuntur ipsa sagitta tricuspide, atque stilo crystallino, prout in reliquis obtinere demonstravimus. Haec omnia
Fig. 7. Figuram 7 conspicientibus protinus conspicua fient: *a* enim os; 1, 2, 3, 4 labia sunt; *b* gula; *c d* ventriculus dissectus, ad pylorum *e*, ductusque biliares *i*, *i*, *i*, *i* patefaciendos. Stilus crystallinus *x* cum sagitta *y* ei incumbente ostenditur in
Fig. 9., 8. Fig. 9; eadem amplificata in Fig. 8.

Intestinorum tractus *c d e o*, crassus in primis, atque amplus, tenuis paullatim graciliorque evadit, donec ad *o* aortam ascendentem attingens, eamque de more subiens, cordis cavitatem praetergreditur, desinitque tandem ad *x* in tracheae inferioris sinu *y z*.

Fig. 6. Hepar *a a* viridescens, folliculis ovatis minimis, in plures acervos congloba-
Fig. 11. tis, compactum (quos in Fig. 11 Microscopio adauctos cernere licet), ventriculum complectitur, ac in sui gremio fovet. Utrumque vero tegitur ab ovario *b b*, in universam abdominis cavitatem per viscerum, musculorumque intervalla late viam sibi parante. Ejus forma fistulosa, labyrinthiformis, ut alibi in genere

monuimus [1]. Roseo in primis colore refulget, qui mox in miniaceum, postremo in lactescentem more suo immutatur. Mense Martio ineunte ovis turgescere incipit, roseoque colore suffundi. Conchulae mense Septembri e sabulo ereptae, seminis lupini magnitudinem propemodum aequabant. *Tab. XX.*

Mollusci dorsum, ut alibi dictum est [2], obtinet thorax, ubi cor *c* delitescit, *Fig.* 6. auriculis *i*, *i* hinc inde instructum. Hoc, pericardio dissecto, ad *r* conspicere li- *Fig.* 4. cet in Fig. 4. In vivo animali leviter flavescit; ejusque compages ingenti lacertorum, multifariam se se mutuo decussantium, atque intexentium, numero roboratur. Animante adhuc vivo a nobis perlustratum ad sui motum contemplandum, validissime contrahi, atque dilatari visum est per horae circiter quadrantem, etsi pericardium mordicus discissum, et cor usquequaque detectum pateret. Ejus systole duo propemodum minuta secunda perdurabat, totidemque ejus diastole. Dum contrahitur ovatam formam accipit undique turgescentem: dum vero ex adverso dilatatur, se se explanando circumquaque, distenditur fere in quadratum, ac spectaculum jucundissimum ipsum attente contemplantibus offert. Ejus auriculae *i*, *i* ex utroque sui latere derivatae, lacertisque multifariam *Fig.* 4. simul implexis contextae, venam amplam branchialem *h h*, ejusque sociam, utrinque excipiunt; quae venae porro propagines plurimas pectinatas, sicuti solent, proferentes, per branchias distribuuntur. Hic alteram omisimus ne aliquot Mollusci partes occultaret.

A summo imoque corde gemina aorta prodit. Inferior *v* secus Mollusci dor- *Fig.* 4. sum in primis excurrens, surculos aliquot hepati largitur; mox abdominis cavitatem subiens, propagines suas 1, 2, 3, 4, 5, etc. ventriculo, intestinis, ovario, atque musculis, quâ late patent, distribuit. Superior *u* abit in corculum *l*, cujus forma est revera singularis. Ipsum ad *g* in Fig. 10 delineatum cernes una cum sub- *Fig.* 10. jecto corde A A, arteriisque *b*, *c* paullo amplificatum. Lacerti musculosi *s*, *s*, *s*, *s*, etc., quos in dissecto corde vides, illud pariter exornant; rectumque intestinum *i i i* utriusque cavitatem praeterlabitur. Corculum hoc sanguine turgidum, marsupium veluti refert inferne convexum, superne leviter concavum, atque sinuosum. Situs, atque fabrica, ipsum pro altero corde accipiendum esse demonstrant. Hydrargyrum e corde manans aortam in primis, deinde ipsum libere complet; ulteriusque fluens per arteriae propagines distribuitur.

---

(1) *Introduct.* Part. II, Cap. VIII, pag. 68.

(2) Ibid. Part. II, Cap. III, pag. 35.

Tab.XX. Fig. 5. Cisterna lactea *e* imminet musculo adductori supero *d d*, cujus tegumento pariter obducitur, ut in ceteris fieri consuescit. Multiplices ejus propagines 1, 1; 2, 2; 3, 3; 4, 4; a cunctis animantis partibus reduces, ipsam subire cernuntur, ut alibi est dictum [1].

Fig. 4, 6. Imminet proxime thoraci viscus testaceum *k k*, materia veluti gelatinosa, atque subfusca conflatum, ossiculisque plurimis testaceis albis diversae formae, atque magnitudinis penitus infartum. Hos ut plurimum ad sexaginta numeravimus. *Fig. 12.* Naturalis magnitudo, quam ipsorum aliquot praeseferunt in Fig. 12 cernere est; *Fig. 13.* eosdem amplificatos in Fig. 13. Peculiaris ipsorum indoles cum testae substantia omnino convenire videtur [2]. Ceterum viscus hoc musculum valvarum *Fig. 6.* adductorem superum *n n*, partim complectitur, quocum communi simul tunica obtegitur, atque colligatur. Cordis pariter auriculis, dum sanguine turgent, rectoque intestino quodammodo subest; quorum validis, perennibusque contractionibus ipsum pariter comprimatur necesse est. Quod sane, ceteris argumentis omissis, quae alibi indicavimus, cerebri sedem in eo statuendam non esse luculenter demonstrare arbitramur.

VENVS VERRVCOSA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1130.

Ital. *Venere Verrucosa*. Neapol. *Taratufolo*. Tarent. *Camadia*. Venet. *Severazza*.
Gall. *La Clonisse*. Germ. Die warzige Venusmuschel. Belg. *Wratige onde Wyf.*
Angl. *Heart Cockle with rugged girdles*.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCLXXXIV, Fig. 122.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXV, Fig. H.
Ginann. *Op. post.* Tom. II, Tab. XX, Fig. 137.
Pennant *Brit. Zool.* Tab. LIV, Fig. 48.
Da Costa *Brit. Conchol.* Tab. XII, Fig. 1.
Born T*est. Mus. Vindob.* Tab. IV, Fig. 7.

T. XXI. Fig. 18. *Testae characteres*. Testa cordiformis, crassa, lamellis elatis, confertis, crenatis verrucosis, in transversum distincta; area incompleta; areola lanceolata impressa; margine tenuiter crenulato.

---

(1) *Introduct.* Part. II, Cap. III, pag. 39.

(2) Conferantur quae de hoc Viscere dicta sunt Cap. III, Part. II *Introduct.*, pag. 42.

Testae descriptio. Concha procera, cordiformis, transversim paullo oblongata, inaequilatera, valde crassa, tumida. Lamellae satis elatae, confertae, atque crassiusculae, utramque valvam transversim circumducunt. Plicae undatae hujusmodi lamellarum sunt adeo torosae, atque prominulae in latere antico, ut tubercula, sive verrucas mentiantur; unde concha cognomen traxit. Umbones concinni, reflexi. Areola carinata, lanceolata, ac veluti impressa. Area incompleta; siquidem latus dexterum sinu gaudet laevi, maculoso; latus vero alterum integerrimum est. Limbus interior tenuissime, concinneque crenulatus adparet. Tota concha albida lineis angulatis fulvis, vel rufis; saepe radiis subrubris, vel pallide roseis, in longum insignitur. Cavitas nivea interdum macula fusca hic illic illinitur.

Fig. 18 Tab. XXI concham istam repraesentat simul cum Animante, quem in se includit; cujus pallium, pedem, atque tracheas ea ratione distentas delineavimus, qua, dum respirationis munus perficitur, in vivario conspici solent. Conchae dorsum porro ostendit Fig. 19. *T.XXI. Fig.* 18. *Fig.* 19.

Historia. Piscosam amat Pausilypi oram, easque plagas praecipue, quae *Dognanna*, et *Cantalupo* vulgo appellantur. Rastri adminiculo usitato more ab arena elicitur, ejusque carnes uberes, atque suaves, eadem prorsus ratione in mensis usurpantur ac Veneris Chiones, aliorumque congenerum Testaceorum.

Mollusci characteres. Callista (Gemella) tracheis geminis ad basim usque disjunctis, laevibus, crassis, longiusculis; pallio undato-fimbriato; pede lanceolato; cunctis albescentibus. Inspice Fig. 18 Tab. XXI. *Fig.* 18.

Gemellam cognominavimus ob insignem ejus similitudinem cum Callista, quam Venerem Floridam inhabitare demonstrabimus.

MOLLVSCI ANATOME.

Callistam Gemellam conchae suae adhaerentem in Fig. 18 Tab. XXI effictam *Fig.* 18. esse supra monuimus. Pallii limbus est undulato-fimbriatus. Tracheae binae ad basim usque divisae, crassae, longiusculae, secus rictus simpliciter cirratae, apicibus fuscis; intus vero maculis sulphureis elegantissimis conspersae. Musculi earumdem retractores lati, subovati. Branchiae quadrilobae, ultra abdomen, ac prope tracheam branchialem apicibus suis coalescentes: plicae latiusculae. Os ad basim abdominis labiis quaternis, trigonis, transversimque striatis communitum. Ventriculus ovatus, ductibus biliariis distinctus: intestinorum flexus fere ut in Callista Coccinea. Hepar amplum, viridescens, folliculis exilissimis in racemos

coactis conflatum. Cunctas abdominis partes foecundationis stadio complectitur Ovarium ramosum, in plurimas ambages abiens; quod mense Martio perquisitum lactescere, ac turgidum fieri incipiebat. In viscere testaceo concretiones nullae [1]. Cor luteum, uniloculare, duplici auricula, geminaque arteria instructum, quarum propagines haud aliter dirimuntur, quam in Callista Coccinea. Musculi prorsus iidem. Corculum nullum. Pes lanceolatus. Totum Animal albescens.

Ex quibus liquet Callistam Gemellam cum Coccinea maxime convenire. Differt dumtaxat ob albidum sui colorem, tracheasque ad basim usque disjunctas; intrinsecus autem praecipue ob corculi, et concretionum testacearum defectum in viscere testaceo.

VENVS GALLINA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1130.

Ital. *Gallina di Turchia*. Neapol. *Vongola janca*.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCLXXXII, Fig. 120.

Regenfus. *Collect.* Tab. VII, Fig. 12.

Da Costa *Brit. Conchol.* Tab. XII, Fig. 2.

Born *Test. Mus. Vindob.* pag. 57, Fig. *b*.

T. XXI. Fig. 6. *Testae characteres.* Testa cordiformis rotundata, ventricosa, nitida, striis compressis, inaequalibus, inconcinnis in transversum distincta; area sinuata; areola lanceolata impressa; apicibus reflexis; margine crenulato.

Testae descriptio. Concha subrotunda, et prope cordiformis, satis tumens, nitida, epidermate jugiter destituta. Valvae in transversum striatae: striae saepe obsoletae, compressae, irregulares, inconcinnae, interruptae, saepe dichotomae, sive in geminos surculos divisae, versus latus anticum confertiores, exilioresque. Areae regio fere recta, areolae seminulata, brevior. Area sinuata, substriata;
Fig. 7. areola lanceolata, carinata, impressa, sicuti in Fig. 7, quae concham hanc e parte dorsi repraesentat, cernere est. Umbones tumidi; apices elati, versus areolam reflexi. Limbus interior, seu margo, crenulatus. Testa colore viridescenti ut plu-
Fig. 6. rimum nitet, radiis latis albis distincto, quemadmodum in Fig. 6 Tab. XXI. Ceterum plurimas communiter in hoc subit varietates, quarum praecipuae hae sunt.

Fig. 6. *(a)* Testa alba radio uno, vel altero viridescenti; et contra. Fig. 6.

(b) Testa universa viridescens.

---

(1) Confer Anatomen Callistae Coccineae, Ord. II, pag. 87.

(c) Testa universa fulva.

(d) Tota testa nivea.

Indicati conchae colores ramos nonnumquam super valvas hac illac distributos effingunt; saepe vero lineas angulatas in longitudinem seriatim digestas, ut in Fig. 5. Jugiter autem quilibet conchae color ea ratione illam offundit, ut punctis veluti coloratis confertissimis inconcinne depicta adpareat; unde cognomen traxit. *T.XXI. Fig. 5.*

Historia. Veneres istae in nostro mari maxime obviae, arenoso gaudent solo, ubi catervatim degunt haud procul a litore. In hoc nostro Cratere maris plagam praecipue colunt *Spiaggia di Chiaja* vulgo appellatam, perinde ac piscosam Mergellinae oram, Jacobi Sannazarii sepulchro proxime objectam. Earum carnes, eadem ratione parari solent ac Tellinarum, reliquarumque Venerum, de quibus partim antea dictum est.

Mollusci characteres. Callista (Candida) tracheis geminis semiconjunctis, laevibus; pallio undato-fimbriato; pede lanceolato; cunctis candore conspicuis. Inspice Fig. 5 Tab. XXI. *Fig. 5.*

MOLLVSCI ANATOME.

Exteriorem formam Callistae Candidae ad vivum expressimus in Fig. 5 Tab. XXI, *Fig. 5.* quemadmodum in vivario conspici solet, dum respirationis munus absolvit, vel progredi cupit. Totum Animal albescit. Pallii limbus *a a* undato-fimbriatus. Tracheae geminae *b, c* semiconjunctae, procerae, laeves, cirris simplicibus circumseptae; extrinsecus punctis fuscis, intrinsecus maculis sulphureis elegantibus conspersae. Musculi earum retractores ut in Callista Coccinea. Branchiae plicas habent latiusculas; lobique interiores reliquis praestant. Ad os labia quaterna, trigona, transversim striata. Ovarium ramosum, mense Martio, atque Aprili modice turgidum, lacteo candore conspicuum, hepati constratum. Hepar amplum, viridescens, folliculis ovatis, racemosis, bile succinea repletis, compactum, quae guttatim eo secto erumpebat. Vasa in eo plurima, turgidissima.

Ventriculus ovatus, musculosus, cui hepar de more arcte adhaerescit. Intestinum jejunum amplissimum: hinc sensim coarctantur intestina ad rectum usque; flexus prope ut in Callista Coccinea.

Viscus testaceum ex albo viridescens, tenuissimum.

Cor unicum, uniloculare, recto intestino pervium. Corculum nullum.

Cisterna lactea musculo adductori insidens; et vasorum lactiferorum propagines, ut in Callista praedicta. Earum plures in membrana pallii haud aegre conspici poterant.

Musculorum forma, atque compages eadem est ac in ceteris hujusmodi Molluscis.

Pes *e* lanceolatus pro re nata polymorphus evadit.

Ex his plane intelligitur Callistam Candidam, quoad corporis fabricam, Callistae Coccineae quammaxime adsimilari. A Callista Gemella nonnisi ob tracheas partim conjunctas differre videtur.

VENVS RVDIS.

Ital. *Venere Rustica*.

T. XX. Fig.15, 16. *Testae characteres*. Testa exigua, cordiformis, ventricosa, rudis; striis transversis, radiisque fulvis in longum distincta; areola lanceolata, area simplici.

Testae descriptio. Testa exigua, cordiformis, inaequilatera, valde tumida, atque rudis. Striae confertae, exilissimae, inconcinnae, perinde ac annotinae accessiones valvas albidas in transversum exornant, quas porro radii fulvi, atque interrupti in longum decorant. Umbones elati, apicesque tumidi, atque reflexi. Areola lanceolata; areae plaga insigniter tumens. Concha intrinsecus ex albo flavescit. Una alteraque, quas in nostro Museo adservamus, magnitudinem in
Fig. 15. Fig. 15 Tab. XX delineatam haud excedunt.

Historia. Concham istam inter Veneres Gallinas e mari exemtam inopportune conquisivimus, morbo enim affecti illius Animantem perlustrare non potuimus; et quum ob ejus inopiam iterum ipsam consequi minus datum sit, Animantis genus, atque naturam adhuc ignoramus.

VENVS LAETA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1132.

Ital. *Venere Capricciosa*. Neapol. *Vongola*.

T. XXI. Fig.1, 2, 3. *Testae characteres*. Testa subovata, ventricosa, nitida, transversim tenuissime striata; latere antico porrecto, attenuato; area tumida, areola lanceolata, impressa; in longum plerumque radiata.

Testae descriptio. Concha exigua, ovato-trigona, inaequilatera, tumida, nitidaque. Latus anticum satis porrectum, atque attenuatum, mucronis speciem refert: posticum longe brevius, rotundatum. Valvae strias exilissimas, confertas, subundulatas, subinde dichotomas, lenteque perlustrandas gerunt. Umbo-

nes tumidi, apices exigui. Area tumida, ac fere recta; areola lunata, lanceolata, impressa. Limbus interior laevis. Tota concha plerumque alba, maculis fuscis, radiisque flavis in longum decoratur: intus ex flavo albescit; et nonnumquam maculam violaceam gerit in latere antico. Ceterum miris propter colores ludit varietatibus; frequentissime etenim vel lanceas, vel hastas, vel opus textile, vel lineas angulatas, vel alias hujusmodi formas super ejus valvis data opera veluti depictas ostendit; ex quo italicum cognomen derivavimus. Praecipuae porro varietates hae sunt. *T.XXI.*

(a) Grisea, vel fulva, radiis tessulatis fuscis. Tab. XXI, Fig. 2. *Fig. 2.*

(b) Tota fulva.

(c) Punctis, lineisque viridescentibus, multifariam simul intextis ornata. Fig. 1. *Fig. 1.*

(d) Rufa radio albo.

(e) Nivea, latere antico in altera valva macula fusca insignito. Fig. 3. *Fig. 3.*

(f) Nivea, maculis fuscis regularibus, ac veluti undatis picta. Fig. 4. *Fig. 4.*

(g) Tota nivea.

Raro majus subit incrementum, quam in Fig. 1 expressum vides. *Fig. 1.*

Historia. Testacea isthaec, varias maris hujus oras incolentia, abunde luxuriantur secus oram Pausilypi, concharum omnigenarum feracissimam; neque ullum est Conchyliorum genus, quod tantum Conchytis adferat aemolumentum, licet nonnisi unam horam singulis diebus in iis captandis impendant. Equidem etsi lege sancitum sit aestiva solum tempestate, a mense scilicet Majo ad Octobrem, eorum piscatum esse absolvendum; tantum nummorum ex eo percipiunt, ut toto anni curriculo domesticis suis necessitatibus largiter prospicere queant. Bis in anno sobolem ea procreare ii probe norunt, mense nimirum Martio, atque Augusto; ideoque statutum est illa, quae mense Martio progignuntur, nonnisi mense Augusto anni insequentis captari posse; quae vero mense Augusto, deprehendi mense Majo anni insequentis. Ut autem nonnisi aetate jam perfecta e mari extrahantur, cribro aeneo Conchytae utantur necesse est, in quod cunctas hujusmodi conchas conjiciunt, quas rastro reticuloque, e sabulo, ubi obrutae latent, usitato more elicuere. Cribro deinceps in motum acto, quae exiguae sunt per patula ejus foramina in mare iterum decidunt, et nonnisi proceriores detinentur. Hiberna tempestate, aestuque saeviente, alte sub arena reconduntur, lenteque adolescunt. At ubi primum aestivo solis calore aquae percelluntur, arenae prope fastigium petunt, et ocyssime excrescunt. Murices Trunculi sub arena latentes illas adoriuntur, quarum carnes expetunt avidissime; easque pede, ac pro-

muscide strenue complectentes, mordicus depascuntur. Quod sane etiam in nostro vivario illos quodammodo praestitisse conspeximus. Carnes maxime tenues ad juscula paranda communiter usurpantur.

Mollusci characteres. Callista (Multicirrata) tracheis geminis semiconjunctis, *T. XXI.* laevibus; anteriori cirris ramosis instructa; pallio fimbriato, repando; pede ovato-*Fig.* 1. oblongo; cunctis albo colore conspicuis. Inspice Fig. 1 Tab. XXI.

MOLLVSCI ANATOME.

Fig. 1. Totum Animal albescit. Pallii limbus plicato-fimbriatus. Tracheae laeves, inaequales, crassiusculae, prope basim simul junguntur. Utriusque apices, perinde ac cirri, qui in ramos abeunt, ac veluti hispidi sunt, maculis fuscis extrinsecus insigniuntur: in quibusdam maculae istae totas tracheas exornant: cunctae intrinsecus maculis sulphureis variegatae. Musculi earumdem retractores lati, atque ovato-lanceolati ut in Callista Coccinea. Branchiae ultra abdomen tantum conjunctae plicas latas gerunt; lobique interiores ceteris praestant. Labia pyramidalia, transversim striata. Ventriculus hepate fotus. Intestinorum flexus prope ut in Callista Coccinea. Hepar amplum, viridescens, folliculis ovatis in racemos coactis de more compingitur. Ovarium ramosum, labyrinthiforme, hepati praesertim constratum, cunctos abdominis anfractus late subit. Mense Martio ovis prope maturis insigniter tumescebat. In nonnullis Majo ineunte vix conspicuum erat. Stilus crystallinus, musculique abdominales ab iis non differunt, quos in Callista Coccinea obtinere demonstravimus [1]. In viscere testaceo concretiones nullae. Cor unicum, ovatum, rubescens, recto intestino pervium: corculum nullum. Cisterna lactea, atque vasa lactifera prorsus eadem ac in Callista Coccinea. Pes ovato-lanceolatus pro re nata multiformis evadit, sicuti de reliquis in genere dictum est.

Ex his omnibus plane intelligitur Callistam Multicirratam nonnisi ob pedem ovato-oblongum, cirrosque ramosos in trachea pallii, differre a Callista Candida; ac proinde aeque ac illam, quoad partium fabricam, cum Callista Coccinea quammaxime convenire.

---

(1) Consule ejus Anatomen, Ord. II, pag. 87.

VENVS FLORIDA [1].

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1133.

Ital. *Venere Marmorina.* Neapol. *Vongola Verace.* Tarent. *Camadia.* Liburn. *Arsella.*
Germ. Die Blaulippe. Angl. *Fading Venus; Cornwal Purr.*

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXXIX, Fig. H.

Regenfus. *Collect.* Tab. IV, Fig. 40.

Da Costa *Brit. Conchol.* Tab. XIV, Fig. 4.

Born *Test. Mus. Vindob.* Tab. V, Fig. 2.

Testae characteres. Concha ovata, depressiuscula, antice elongata, atque dilatata; postice attenuata, atque rotundata; striis rugosis confertissimis in longum distincta; latere antico intrinsecus violaceo. *T.XXI. Fig.* 16, 17.

Testae descriptio. Concha ovata, ampla, inaequilatera, paullo depressa. Latus anticum satis productum eamdem propemodum latitudinem servat, ac medium conchae; ejusque ambitus oblique rectilineus: posticum longe brevius attenuatum est, ac rotundatum. Striae plurimae subundulatae, confertissimae, ad latus anticum insigniores, valvas in longum, annotinae vero accessiones in transversum saepe distinguunt. Umbones exigui apicibus contiguis. Areola lanceolata impressa; area simplex. Limbus interior laevis. Tota concha in genere griseo colore nitet maculis fuscis hic illic consperso: intrinsecus ex albo flavescit, nisi latus anticum excipias, vel marginem inferiorem prope cardinem, quae saepenumero colore violaceo illita inveniuntur. Ceterum est ei color varius, ut ex modo dicendis adparebit.

(a) Fusca radiis griseis.

(b) Totâ grisea, vel fulva. Tab. I, Fig. 11. *T.XXI. Fig.* 11.

(c) Fulva radiis fuscis.

(d) Ex fulvo griseoque variegata

(e) Flava lineis angulatis rufis.

(f) Purpurascens, radiis, lineisque angulatis rufis.

Historia. Veneres Floridae cum in sinu Tarentino, tum ad ostium Portus Neapolitani, quâ late patet ad plagam usque *Pietra del pesce* vulgo appellatam, affluenter proveniunt. Urinatores se mari mergentes illius fundum petunt ad trium circiter passuum altitudinem; ibique arenam tenuissimam limo coinqui-

---

(1) Obscoenum Veneris Defloratae nomen Conchae huic inditum a Linnaeo, in Venerem *Floridam* consulto commutandum existimavimus.

natam manibus effodientes, Veneres Floridas simul comprehendunt, ac in loculos in abdominis ambitu de industria adligatos conjiciunt, ut arenae manibus effodiendae, conchisque arripiendis iterum iterumque pares fieri queant. Carnes palato suaves vel crudae a quibusdam appetuntur, vel eadem ratione parantur ac de Callista Coccinea supra dictum est [1].

Mollusci characteres. Molluscum, quod Venus Florida obducit, est Callista Gemella, cui Venerem Verrucosam tegumento esse demonstravimus [2]. Itaque ad ejus characteres, atque anatomen dignoscendam, Articulum Veneris Verrucosae adire juvabit. Monebimus modo inter hucusque recensitas Callistae species nullam magis accedere Callistae Coccineae quoad corporis fabricam, quam Callistam Gemellam, de qua agimus. Equidem et valvulas ad ima trachearum orificia, et intestina eadem prorsus ratione inflexa, et cor geminum, et ceterarum partium compagem, quam in Callista Coccinea inesse declaravimus, in Gemella simul obtinere deprehendimus. Nihilominus haec postrema differt insigniter ob album sui colorem; ob tracheas omnino disjunctas; ob cristarum defectum in summo pallio; denique ob concretiones nullas in viscere testaceo.

* * Subrotundae.

VENVS EXOLETA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1134.

Ital. *Venere Variata*. Neapol. *Zecchinetto*. Germ. Die Strahlſcheibe.

Belg. *Slet*. Angl. *The antiquated Venus*.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCXCII, Fig. 128; Tab. CCXCIII, Fig. 129.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXV, Fig. F.

Adanson *Coquill. du Sénég.* Tab. XVI, Fig. 4.

Pennant *Brit. Zool.* Tab. LIV, Fig. 49 A.

Da Costa *Brit. Conchol.* Tab. XII, Fig. 5.

Born *Test. Mus. Vindob.* Tab. V, Fig. 9.

T. XXI. Fig. 9, 10. 11. *Testae characteres*. Testa suborbiculata, nitida, transversim obsolete striata, radiis, lineisve coloratis in longum distincta, apicibus reflexis; area cordiformi, fusca, in sinu lunato impressa.

Testae descriptio. Testa fere lentiformis, nitida, depressiuscula, striis confertis exilibus, annotinisque accretionibus transversim exarata; in longum vero ra-

(1) Ord. II, pag. 86.

(2) Ord. II, pag. 91.

diis latis, lineisve angulatis, vel ramosis, nonnunquam utrisque simul venuste picta. Latus posticum e regione apicum magis rotundatum. Apices elegantes ad latus posticum reflexi. Area simplex. Areola cordiformis, fuscoque colore imbuta, in sinu semilunato, qui umbonum apicibus proxime subest, veluti excavata conspicitur. Margo integerrimus. Cavitas conchae crusta veluti prominula, candidaque, hic illic obducitur. Cardo Generis.

Colorum varietates in conchis istis conspicuae verbis exprimi haud possunt. Idcirco praecipuas dumtaxat recensebimus. *T.XXI.*

(a) Testa albida lineis angulatis sanguineis distincta. Tab. XXI, Fig. 11. *Fig.* 11.

(b) Testa albida radiis latis sanguineis, vel fulvis interruptis.

(c) Testa omnino albescens.

(d) Testa nivea, radiis, lineisque roseis: speciosissima.

(e) Testa flava radiis albis, fulvisque. Fig. 9. *Fig.* 9.

(f) Testa purpurascens, radiis albis pyramidalibus arcuatis.

Testae cavitas ut plurimum albescit: interdum purpureo colore nitet, crustaque nivea partim contegitur.

Fig. 9 Tab. XXI concham istam repraesentat Mollusco suo instructam, cujus *Fig.* 9. pes *a*, atque trachea *s* paullo exertae conspiciuntur. Hae autem penitus distentae (quod sane nonnisi rarissime fieri observavimus; concha enim minimum in genere, et raro hiat) duplicem saltem testae longitudinem aequare videntur.

Praeter nuper relatas conchae hujus varietates, a colorum tantum differentia, vel dispositione derivantes, altera inest longe insignior. Equidem tota concha niveo candore nitet; striae transversae elegantiores sunt, confertioresque, valvaeque glaberrimae, atque nitidissimae. Nonnumquam ad annotinas accessiones ferme obsoletas, fusco veluti colore extra modum diluto veluti illita adparet. Varietatem hanc, quam Linnaeus *Venerem Lupinum* denominavit [1], in Fig. 8 *Fig.* 8. Tab. XXI effictam cernes. Forma eadem ei est ac Veneri Exoletae; eumdem animantem obducit, et cum illa promiscue sub arena hospitatur.

Historia. Secus oram Pausilypi, conchyliis omnigenis feracissimam, nominatim vero ad plagam *Cantalupo* dictam, quâ trium circiter passuum maris altitudo est, conchae istae gregatim proveniunt rubro in sabulo defixae. Rastro, reticuloque illinc expromuntur, quemadmodum de ceteris dictum est. Earum carnes tanta austeritate pollent, saporemque adeo urentem ingerunt comedentium palato, ut aegre inveniatur, qui iis vesci queat. Idcirco ab epulis omnino rejiciuntur, et nonnisi ob testarum venustatem interdum a Conchytis captantur.

(1) *Syst. Nat.* pag. 1134.

Mollusci characteres. Arthemis (Pudica) tracheis geminis omnino coalescentibus, laevibus, longissimis, ad apicem cirratis; pallio-undato fimbriato; cunctis albescentibus, vel leviter flavicantibus. Inspice Fig. 9 Tab. XXI.

T. XXI. Fig. 9.

Pudicam cognominavimus quod in concha sua jugiter recepta, raro modiceque hiat; et nonnisi rarissime (saltem in vivario) ex illa pedem educit.

MOLLVSCI ANATOME.

Fig. 9.

Arthemidem Pudicam testa conclusam, pallio *cc*, pede *a*, tracheisque *s* modice exertis, exhibet Fig. 9 Tab. XXI. Hae autem penitus distentae (quod sane nonnisi rarissime fieri observavimus, quum concha in genere minimum hiet, ut supra dictum est) duplicem saltem testae longitudinem aequare deprehenduntur. Pallii limbus undulato-fimbriatus, perinde ac totum Molluscum, niveo candore refulget. Tracheae geminae penitus conjunctae plus minus flavescunt, apice fusco cirris circumsepto. Branchiae ad tracheam inferiorem simul coalescentes; plicae latiusculae; lobi inferiores supremis minores, ut in Callista Coccinea. Labia quaterna, trigona, transversim striata. Ventriculus, ac intestina usitato more complectitur hepar. Stilus crystallinus, sagitta tricuspis, ac intestinorum circumvolutiones eadem prope sunt ac in Callista Coccinea; itidemque intestina in primis valde crassa, atque patula sensim attenuantur ad rectum usque; quod cordis cavitatem de more praetergressum, erumpit postremo in tracheam branchialem. Viscus testaceum amplissimum, ex fusco viridescens, partim musculo adductori, partim cordi subjectum, granulis testaceis innumeris adeo erat infartum, ut ex iisdem penitus compactum existimares. Hepar latum, viridescens, folliculis minimis ovato-oblongis, ac in racemos coactis compingitur: vasis sanguiferis locupletissimum. Ovarium ramosum cunctos abdominis anfractus subit, et quidquid in eo est complectitur. Mense Martio ovis turgescere incipiebat. Musculi abdominales ab iis non differunt, quos in ceteris hujusmodi Molluscis obtinere demonstravimus.

Cor ovatum, uniloculare, lacertis musculosis roboratur. Auriculae, et arteriarum ortus, ut in ceteris. Cisterna lactea, vasaque lactifera, quae maxime turgida deprehendimus, eadem sunt, iisdemque propaginibus gaudent, ac in Callista Coccinea.

*** Ovatae latere antico subangulato.

VENVS LITTERATA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1135.

Ital. *Venere Letterata.*

Testae characteres. Testa ovata, ventricosa, antice angulata, latere postico brevissimo; striis confertis, exilissimis, undulatis in transversum distincta; lineis fulvis multifariam intextis, vel angulatis, picta. *T. XXI. Fig. 12, 13.*

Testae descriptio. Testa ovata, transversim elongata, tumidiuscula, glabra, inaequilatera. Latus posticum attenuatum, brevissimum, rotundatum; anticum margine inferiori in angulum elato. Striae exilissimae, confertissimae, atque undulatae, valvas in transversum distinguunt, quae lente vitrea perspectae striis exilioribus in longum decussari cernuntur. Testa alba lineis fulvis, vel fuscis, ad retis prope formam diversimode simul intextis, aliisque saepe angulatis, aliis super alias seriatim digestis, mirifice exornatur. Nonnumquam radiis insuper albis decorata invenitur. Area sinuata, angusta; areola lanceolata. Umbones, apicesque exigui: margo laevis. Cavitas albescit, perque valvas tenues lineae extrinsecus pictae hac illac translucent. *Fig. 12.*

Concha ista apud nos nonnisi aegre magnitudinem attingit in Fig. 13 delineatam. Quae e mari Indico adferuntur, sunt longe ampliores, ac proinde striae magis conspicuae. Fig. 12 conchae ejusdem varietatem repraesentat. A Venere Florida, cui maxime adsimilatur, ob strias transversas praecipue discriminatur. *Fig. 13.* *Fig. 12.*

Historia. Nullibi, quod sciam, in nostro mari hujusmodi Testae a Conchytis capiuntur, nisi in sinu Tarentino. Unam, vel alteram tantum super litus arenosum Crateris Neapolitani a saeviente pelago ejectam deprehendimus, quae Mollusco suo penitus destitutae, nullam illius notionem nobis suppeditarunt. At maxima similitudo, qua ipsas gaudere diximus cum Venere Florida, ab eodem simul Animante inhabitari strenue suadet.

GENVS VIII.

SPONDYLVS.

Ital. *Spondilo*. Neapol. *Spuonnolo*. Gall. *Huitre épineuse*. Germ. Die Klappmuschel.
Belg. *Lazarus-Klappen*. Angl. *Spondyle; thorny Oyster*. Dan. Klaps-fiället.

Generis characteres. Testa inaequivalvis, rigida. Cardo dentibus duobus recurvis cum foraminulo intermedio.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1136.

Generis descriptio. Concham, de qua agimus, et *Gaïderopa* a recentibus Graecis, ob ejus similitudinem cum ungula asinina (asinum enim *gaïdaron* vocant), et *σπαχηλὸν*, *Spachelon*, ob sui fortasse asperitatem, a veteribus fuisse adpellatam tradit Rondeletius [1]. Vulgo apud omnes receptissimum Spondyli nomen, quod *vertebram* significare notum est, ex eo derivasse videtur, quod valvae, ex quibus componitur, instar vertebrarum dorsi inter se colligantur. Et sane nonnisi conchae illae bivalves Spondylorum Generi adscribuntur, quarum cardo gemina apophysi, seu duplici tuberculo crasso validoque, communitur, quorum singula in amplum acetabulum, sive scrobem, singulo tuberculo adjectam, infiguntur, adeo ut altera apophysis alteram recipiat, et ab illa vicissim excipiatur. Ad notam hanc essentialem illa accedit, quod scilicet ligamentum teres, validum, et maxime elasticum, tuberculorum medium obtinens, atque extrinsecus omnino inconspicuum, ambas valvas strenue simul firmat, revincitque. Valvae istae ut plurimum inaequales, ea ratione comparatae deprehenduntur, ut infera crassior, validior, amplior, foliis veluti membranaceis, multifariam crispatis, elatisque, et apice fere pyramidali, atque incurvo, ultra cardinem protenso insigniatur; supera autem tenuior, ac brevior mucronibus horrescat. Valvam inferiorem eam dicimus, quae rupibus marinis, vel aliis Testaceis strenue adglutinatur; cunctae siquidem Spondylorum species parasiticam indolem gerunt, et nonnisi malleo, vel clavo ferreo ab illis divelluntur. Quo fit, ut satis obvium sit et Fucos, et Sertularias, et Gorgonias, et Serpulas, et alia hujusmodi marina corpora eis adnata invenire. Mare dumtaxat eas gignit ad Mollusci Genus tegendum, cui quasdam simul Ostrearum species tegumento esse demonstrabimus. Generi huic Argi denominationem tribuimus ob rationes alibi relatas [2]; ubi ad ipsum dignoscendum sequentes notas proposuimus.

T. XXI. Fig. 21.

(1) *De Testac.* Lib. I, pag. 41.

(2) *Introduct.* Part. II, Cap. II, pag. 32.

Trachea abdominalis.

Abdomen ovato-compressum; pes nullus.

Branchiae disjunctae, patentes.

Pallium (in plerisque) musculis ramosis exornatum.

Pallii limbus multipliciter cirratus, ocellis smaragdinis pedunculatis identidem distinctus.

Musculus adductor unicus, maximus, centralis. *T. XXII.*

Inspice Fig. 1, et 2 Tab. XXII. *Fig. 1, 2.*

De Animali (Spondylum incolente), ait clarissimus Born [1], *quod dicam non habeo. Ea enim, quae Rondeletius, et Aldrovandus adferunt, indefinita adeo, vaga, et incerta sunt, ut penitus ad rem non faciant. Adansonius se Spondyli incolam numquam vidisse ingenue fatetur.* Quare Animantis hujus adhuc ignoti absolutam anatomen, maximo labore, animique contentione a nobis institutam, infra declarabimus.

Genus hoc Testaceorum ubique obvium, atque copiosum, duas tantum, vel tres species complectitur, quarum alteram dumtaxat mare hoc nostrum progignit. Quae ad ejus descriptionem, atque historiam spectant, more nostro hic enucleare est animus.

SPONDYLVS GAÏDEROPVS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1136.

Ital. *Spondilo comune*. Neapol. *Spuonnolo*. Tarent. *Scataponzolo*.

Gall. *Huitre épineuse*; *Pied d'Ane*; *Claquet de Lazare*. Germ. Die gezackte Klappmuſchel.

Belg. *Getakte Lazarus-Klap*. Angl. *Spondyle*; *Red-thorny Oyster*; *Asses hoof*. Dan. Klapſtiället.

Rondelet. *De Test.* lib. I, pag. 41.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCVI, Fig. 40.

Bonann. *Recr.* Class. II, Fig. 20, 21.

Rumph. *Thes. Amb.* Tab. XLVIII, Fig. 1, 2.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. CI, Fig. A, B.

Argenville *Conch.* Tab. XIX, Fig. E, G, H. Tab. XX, Fig. B, E, G.

Seba *Thes.* tom. III, Tab. LXXXVIII, et seq.

Da Costa *Elem. of Conchol.* Tab. VI, Fig. 4.

Born *Test. Mus. Vindob.* pag. 76.

---

(1) *Test. Vindob.* pag. 76.

T. XXI. *Testae characteres*. Testa ampla, subovata, ponderosa, inaequivalvis, subaurita, in longitudinem rugosa, spinisque horrida; apice inferiori procero, acuminato, ad horizontem secto.

Fig. 20, 21.

Testae descriptio. Testa grandis, subrotunda, vel ovato-oblonga, valde crassa, et ponderosa, parasitica. Valvae inaequales; inferior crassior, atque gibbosior: utraque rugis crassis in longum exaratur. Mucrones torosi, elati, compressiusculi illas cingunt usquequaque. Nonnumquam spinis lamellarum aemulis apice rotundato, vel foliis veluti testaceis, latis, plicatis, laceris, longe lateque consitae conspiciuntur; praesertim valvae inferiores: saepe et foliis hisce, et spinis horrescunt, quae Spongiae quadam specie laete rubente, tamquam epidermate strenue illis adfixo, obteguntur. Earum ambitus tenuis, fragilis; at hinc valvae gradatim crassescunt quemadmodum ad apices accedunt, qui subauriti esse conspiciuntur. Limbus interior rugosus, vel inconcinne striatus. Apices inaequales; superior brevis, rotundatus; inferior longissimus in mucronem desinit saepe incurvum; in longitudinem autem ea ratione ad horizontem sectus adparet, ut data opera id factum autumares. Cardo gemina apophysi rotundata, exerta, crassa, validissima, in singulis valvis compingitur, scrobibus adjectis. Apophyses istae per illud articulationis genus simul connectuntur, quod *gynglimus* ab Anatomicis denominari consuescit. Insuper valvae ligamento medio tereti, atque robusto, quod ad *a* inter apophyses *c*, *c*, *e*, *e* modo memoratas, in Fig. 21 delineavimus, validius colligantur. Valvae communiter discolores: inferior alba, superior rosea, vel laete purpurea. Tota conchae cavitas albescit, maculis obscure luteis hac illac interdum conspersa.

Fig. 21.

Variat ob niveum colorem, quo tota concha nitet, vel ob spinas rariores perbreves, quae nonnumquam omnino deficiunt; tumque *Carosa* a quibusdam vernaculo idiomate adpellari didicimus. Nos vero haud injuria suspicamur, spinas lamellasque in hujusmodi conchis nonnisi a maris impetu labefactari, atterique; hanc enim varietatem illas pati deprehendimus, quae plagas colunt furenti prae ceteris aequori objectas.

Fig. 20. Concha haec in genere ad magnitudinem excrescit, quam exhibet Fig. 20. Haud tamen raro quasdam invenire est, quae duplo majores sunt, atque pollicis spissitudinem habent. Inter ingentes testarum cumulos, qui in Brutii montibus, superioribus annis a vehementissimis terrae motibus alte disruptis, arena obvoluti delitescebant, Spondylos nonnullos invenimus vel fossiles, vel in lapideam substantiam immutatos, immanis equidem magnitudinis, quippe qui pedis latitudinem aequantes, sesquipollicis ferme spissitudinem praeseferunt. Mirum sa-

ne nullo in mari tantae molis Spondylos hac nostra aetate deprehendi! proptereaque illos tamquam praeteritae singularis alicujus immutationis in hac nostra Tellure monumentum, in Museo nostro adservamus.

Historia. Spondyli vel scopulos colunt, Corallinis, Sertulariis, Fucis, Gorgoniis, Spongiis, Alcyoniis, aliisque stirpibus submarinis laete virentes, vel arenosum maris solum ingentibus Algae saltibus late consitum. Hi algosis caulibus adhaerentes, facili negotio ab iis divelluntur: illi saxeis molibus strenue adnati, nonnisi clavo, vel ensis cuspide corripi queunt. Sunt etiam, qui lapidibus solutis, Testaceis omnigenis, et nonnumquam ipsismet Spondylis adnascuntur, in acervos nullo ordine aggesti. Plerumque Escharis, Sertulariis, Fucis, Corallinis, aliisque stirpibus ejusdem generis, quae testis ipsis radicitus adhaerescunt, obvoluti deprehenduntur. Saepe etiam lapides, Madreporas, vel conchas, novis suis accretionibus involvunt, lateque operiunt; ita ut nullo pacto exinde divelli possint. Qui algosis stirpibus adhaerent, stirpibus ipsis undique circumsepti, marisque injuriis vix, vel modice obnoxii, spinas, lamellasque testaceas penitus inviolatas praeseferunt, omniumque integerrimi, ac speciosissimi sunt. Qui ex adverso scopulis adnascuntur, quos fluctuum appulsus libere lateque conflictat, spinas, lamellasque muticas gerunt; eoque magis quo maris impetus contra ipsos saevire potis est. Hinc opinari cogimur, Spondyli varietatem spinis omnino carentem, nonnisi a fluctuum vi fuisse labefactatam.

Abundat Spondylis Trinacria, Tarentum, oraque Regni Neapolitani, quam alluit mare Tyrrhenum, praesertim vero quà late patet a Cajeta usque ad Salernum. Ad Petralbam, atque Theodociam in plaga illa, quae *Case fondate* vulgo cognominatur, Spondyli vetustis domorum ruderibus in aqua demersis adnati, ingentis sunt crassitiei, atque magnitudinis. A Miseni Promontorio usque ad Bajas, qui algosis vadis implicantur, ut supra dictum est, *Spuonnoli pugnenti* apud Conchytas audiunt. Ii contra, qui Capreas colunt, oramque Amalphitanam, saevis pelagi impulsibus libere obnoxias; quosque scopulis adnatos fere inermes esse monuimus, *Spuonnoli forti* vulgo denominari solent. Uterque qualibet anni tempestate a Conchytis expromitur se se in mare mergentibus, venalisque prostat in foro piscatorio.

Spondylorum carnes insuaves, ingratas, virusque olentes esse, ait Rondeletius [1]. Nos autem id injuria dictum arbitramur. Eas etenim non modo apud nos, ubi suaves, grataeque existimantur, sed etiam apud priscos magno in pretio fuis-

(1) *De Testac.* Lib. I, Cap. 40, pag. 41.

se certum est. In lautissima illa coena, quam dedit Metellus Pontifex Maximus eo die, quo Lentulus Flamen Martialis inauguratus est, tot inter fercula exquisita, quae mensam illam ornabant, Spondylorum quoque meminit Macrobius *Saturnal.* lib. III, cap. 13: *Coena* (inquit) *haec fuit: ante coenam echinos, ostreas crudas quantum vellent, peloridas, sphondilos, turdum, asparagos, balanos nigros, balanos albos, ficedulas, murices, et purpuras*, etc.. Sane Spondyli apud nos lautiores mensas adeunt Ostreis saepe consociati, ibique comeduntur vel crudi, vel ea ratione parati, qua Ostreae fieri solent.

Mollusci characteres. Argus (Umbellatus) trachea umbelliformi, radiatim intrinsecus sulcata; ore fimbriato, miniaceo; labiis ovato-acuminatis, subdivisis; *T.XXII.* pallii limbo gemino, altero tantum cirrato.

Fig 1, 2. Inspice Fig. 1, et 2 Tab. XXII.

MOLLVSCI ANATOME.

Qui Argum Umbellatum conchae suae adhuc adhaerentem, ejusque partium *Fig.* 1. formam probe dignoscere cupiunt, Fig. 1 Tab. XXII oculis subjiciant oportet. AA est musculis centralis validissimus, cujus tantum adminiculo (si pallii limbum excipias) Mollusci corpus valvis suis adligatur, easque ad se invicem adducit. BC exhibet abdomen ovis turgidum, pedeque destitutum; siquidem Animal concha sua saxis adnatum, progrediendi facultate omnino caret. *aa* est trachea abdominalis, nucleo carneo, ut postea declarabimus, distincta: *c* vero os, labiis *d*, *e* de more communitum. *ff* ovarii partem exprimit novissimo gestationis tempore longe lateque ex abdomine prolatam. D, E sunt branchiarum lobi, membranae pallii incumbentes, uti solent. *mno*, *pqr*, duplicem perhibent pallii limbum, quorum exterior *mn*, *pq* cirris, ocellisque obsitus est; interior *sso*, *hhr* omnino simplex, atque laevis.

Ad partium hujusmodi absolutam notionem consequendam, totum Animan- *Fig.* 2. tem diligenter a concha divulsum, pallioque suo involutum delineavimus in Fig. 2. ABC est pallii lobus alter limbo suo exteriori cirrato; *def* est musculus orbicularis, latus, fibrisque musculosis plurimis, multifariam inter se intextis compactus, cujus ope pallii lobi circumundique valvis adhaerescunt. Pallii membrana *gh*, ex ora musculi centralis DE in ambitu erumpens, tendineis repagulis *m*, *n*, *o*, *p* etc., plerisque ramosis, roboratur; et per ipsam ovarium *rr*, et hepatis *Fig.* 4. pars *s* sub eo posita, translucent. Membranae hujus frustum *aa* una cum musculi centralis ora *bb*, e qua derivat, et respondente pallii limbo *ee* (cunctis lente vi-

trea adauctis) ostendit Fig. 4. Limbus interior *cc* introrsum revolutus, et saepenumero ad perpendiculum elatus pro lubitu Animantis, lamellam musculosam imitatur, versus Animantis os sensim attenuatam. Extrinsecus fusco colore illita, croceis maculis venuste variegata cernitur; intrinsecus colorem reddit fulvo-fuscum. Cirri plurimi *dd* subulati, crassi, confertissimi, longiusculi, maxime contractiles, ab exteriori limbo erumpentes, laete flavescunt, et maculis fuscis, croceisque simul distinguuntur. Sunt quidam inter ipsos *i*, *i*, *i*, *i*, etc. et crassitie, et forma maxime spectabiles, quippe conum veluti truncatum referunt, et ocellos smaragdino colore coruscantes, in apice gerunt. Eorum formam cum cirro sibi adjecto, quemadmodum Microscopio inspecta adparet, in Fig. 5 ad vivum exaravimus. Quantum labore conniti, quantum animo contendere potuimus, tantum fecimus, ut ocellorum hujusmodi naturam, atque munus investigaremus; at nullum exinde fructum nos collegisse fatemur. *T. XXII.* *Fig. 4.* *Fig. 5.*

Pallii membranae supra recensitae margaritam magnitudine praestantem, quippe pisum referebat, modice adhaerentem invenimus. Erat ei forma globosa, et color subluteus, quo concham intrinsecus hac illac quandoque suffundi animadvertimus. Margaritam istam in Fig. 15 sub *a* inter alias minores ad vivum exhibuimus. *Fig. 15.*

Musculus centralis DE validissimus, crassus, subteres, fibris fasciculatis candidis conflatus, firmoque tegumento amictus in ambitu exteriori, binis partibus D, E compingitur simul connexis, quas in Fig. 3 unam ab altera solutam videbis. Singulae tunica sua peculiari *aa*, *bb*, circumteguntur. Ipsas etiam intime simul nexas manifeste indicat coloris differentia; E siquidem, altera praestantior, lacteo prope candore nitet; D leviter cinerascit: nonnumquam haec alba, illa flava. *Fig. 2.* *Fig. 3.*

Abdomen B C musculo huic centrali circumligatur. Prominet ex illo trachea abdominalis *aa* infundibuliformis, alba, umbellata, intus radiatim striata, sive potius lamellosa, extra laevis; valde crassa, ultra modum irritabilis, atque contractilis in vivo Animali. Umbellam, seu quamdam boleti speciem stipiti fistuloso insidentem, ut plurimum refert, limbo suo extrorsum revoluto: interdum vero ad insignem longitudinem extenditur, limboque contracto clauditur, adeo ut *Actiniae* speciem quodammodo effingat. Ab ejus pedunculo bini musculi divergentes *g*, *g* producuntur, qui os *n* in medio coërcent, atque ulterius protensi, hepar simul hinc inde perstringunt. Hi *tracheae retractores* dici queunt. Corpus *b* carnosum, lutescens, pisi magnitudine, pisumque referens subovatum, tracheae praedictae centrum, vel pedunculi fistulam obtinet, cui fili cujusdam carnei *m* *Fig. 1.* *Fig. 7.*

T.XXII. adminiculo, ex abdominis cavitate, ut suspicari oportet, derivati, adligari videtur. Corpus hujusmodi dissectum tunicis binis *cc*, *ee*, crassis firmisque, altera alteri subsuta, conflatum deprehenditur; quae materie veluti gelatinosa, pellucida, et pinguedinem quodammodo referente, obsitae inveniuntur. In harum tunicarum, ac gelatinosae substantiae sinu, praecipue vero in summa illarum regione, nucleus exiguus *s* delitescit, granum millii aequans, satis firmus, et luteo, vel terreo colore infectus, in cujus centri vicinia punctum minimum nigricans inesse conspicitur. Ab eo dissecto nonnisi humor luteus, vel subfuscus erumpit satis copiosus. Corpus hujusmodi, cujus munus omnino ignoramus, nulla in anni tempestate, etiam dum nullum neque praegnationis, neque ovarii inditium, deesse visum est.

Fig. 6.

Autumnali, hiemalique tempestatibus nullum in hoc Animante inest Ovarii vestigium. Tunc temporis abdomen insigniter exiguum vitri pelluciditatem reddit; limbus repandus, et per cutem intestina translucent lutescentia, fibraeque tegumentorum exilissimae. Vere autem ineunte Ovarium incipit adolescere, in multiplices ramosas propagines usquequaque divisum. Superiores, puta *f*, *r*, *o*, *n*, *z*, *m*, ac centenae hujus generis aliae a trunco *xy* inter branchias V V, abdomenque B C derivatae, abdominis ipsius cavitatem petunt; quae ex altera trunci ejusdem regione erumpunt, *s*, *s*, *s*, *t*, *t*, etc., branchiarum loculos subeunt. Quod idem in altero abdominis latere fieri intelligatur. Propagines istae, quarum praecipuas tantum in Fig. 9 delineare suscepimus, tum ingenti surculorum copia, tum artificioso, ac prope admirabili illorum contextu, tum denique rubicundo, seu cinnabarino colore, quo nitent, tanta admiratione, atque oblectamento inspicientium oculos percellunt, ut quoties lente vitrea illas contemplati sumus, toties nos prope obstupuisse fateamur. Ovarium hoc praegnationis tempore procedente, et colorem immutat, et turgidum evadit, donec tandem ab ovis jam adultis mirifice distentum, massam veluti informem aemuletur lacteo candore conspicuam, ac per tumescentis abdominis tegumenta translucentem, sicuti in Fig. 1 ad vivum adparet. Tunc igitur memoratae propagines *s*, *s*, *s*, *t*, *t*, etc. in branchiarum loculis digestae, ingenti ovorum turgescentia extra modum distentae late scinduntur, ovaque ipsa nullo sui fraeno coërcita in loculis relinquunt; quae porro ad summam maturitatem inibi perducta, ceterorum ritu in mare expelluntur.

Fig. 9. Fig. 9. Fig. 1. Fig. 9.

Fig. 1. Corpus hujus Mollusci, quod musculo centrali maximo A A circumligari monuimus, diligenter ab illo distractum, ac in directum dispositum, e latere dis-*Fig. 13.* secuimus in Fig. 13, quo digestionis viscera, eorumque dispositionem e natura

patefaceremus. *b* itaque exprimit os fimbriato-racemosum, colore ex luteo ruben- *T.XXII.*
te micans, labiis quadrigeminis, ovatis, concoloribus, striatis, *e*, *e*, eorumque *Fig.* 13.
sociis, insignitum. Cuncta lente amplificata seorsim delineavimus in Fig. 8. Gu- *Fig.* 8.
la longiuscula ducit ad ventriculum *d* ovato-oblongum, abiens in intestinum *s*, *Fig.* 13.
quod simplici flexu facto ad *m* prope apicem abdominis, sursum pergit, ovario *opq* undique constipatum, donec ventriculi regionem praetervectum, cordis *n* cavitatem attingit, eamque permeat, sicuti de ceteris dictum est. Hinc rectum intestinum *hf*, musculi centralis *A* ambitum legens, versus anteriora progreditur, ibique inter branchiarum apices desinit omnino solutum, quemadmodum ad *v*
in Fig. 1 cernere est. Ventriculum amplificatum, atque in longum dissectum, in *Fig.* 1.
Fig. 14 delineavimus, quo et gula *bb* ab ore fimbriato *dd* derivata, transversim- *Fig.* 14.
que rugosa; et pylorus *a* ducens ad intestinum *y*; et ductuum biliarium ostia *i*, *s*, *r*, per quae bilis in ventriculum excernitur, luculentissime patefierent.

Ventriculus in hoc Animante, quemadmodum in ceteris fieri solet, ab hepate, et ovario late circumducitur, atque opportune fovetur. Est hepar amplum, ovatum, folliculis innumeris etiam ovatis in racemos compactis, et plurimis vasorum surculis usquequaque consitum: color subfuscus. Totum, quâ late patet, super musculo adductore reclinat, cui pariter strenue adhaerescit. Ipsum in si-
tu naturali penitus inviolatum, licet ovario tectum, ad *sss* in Fig. 7 conspicere *Fig.* 7.
licet; Microscopio vero adauctum in Fig. 11; ubi et aortae truncus *ed* cum sum- *Fig.* 11.
mis ramis *i*, *i* infra describendis, et venarum propagines plurimae *m*, *n*, *o*, *p*, etc.; et tunica *yz*, qua undique cooperitur, adparent. Folliculorum acervum Micro-
scopii adminiculo exploratum exhibet Fig. 12. *Fig.* 12.

Inter pallium, et abdomen branchiae D, E utrinque intercedunt. Sunt hae *Fig.* 1.
quadrilobae, uti solent, ultra modum tenuissimae, graciles, facile scissiles, eodemque colore ex flavo rubente offusae, quem in oris fimbria, atque labiis obtinere animadvertimus. Membranae *i*, *i* crassae, musculosae, pellucidae, albescenti, utrinque adnascuntur [1].

His absolutis, reliquum est, ut circulationis vias persequamur, quod brevi
conficiemus. Universam vasorum hujusmodi compagem in Fig. 10 seorsim reprae- *Fig.* 10.
sentatam cernes parum amplificatam, ut luculentius adpareret: praecipuam ejus-
dem partem naturalis magnitudinis, ac in naturali situ, in Fig. 7 repraesentavi- *Fig.* 7.
mus iisdem litteris notatam. Figura haec totum exhibet corpus Animantis a mu-

(1) Ex his liquet, quam temere perspicacissimus Rondeletius contenderit Lib. I *De Testaceis*, Cap. 40, nullas huic Animanti branchias inesse.

T. XXII. sculo centrali distractum, atque in directum distentum: insuper ovarii partem Fig. 7. *yy* in longum dissectam, et ad latera revolutam, ne cor cum auriculis, aortae ini- Fig. 10. tium, atque hepar, cui ipsa incumbit, occultaret. *a* igitur est cor subrotundum, uniloculare, tuberculosum, rubens, lacertis musculosis intrinsecus obsitum, ut de ceteris dictum est. Incumbit musculo centrali proxime ultra hepar, quemad- Fig. 13, 10 modum Fig. 13 ostendit. Auriculae *c*, *c* amplae, subconicae, tendineis repagulis communitae, hinc inde ipsi adnascuntur. Aorta descendens *b* hepatis dorso constrata, propaginibus suis *i*, *i* hepar ipsum praecipue, ventriculumque subjectum irrorat, perinde ac peritonaeum, palliique membranam: at ad *d* abdominis cavitatem alte subiens, ramis suis *f*, *g*, eorumque surculis plurimis, quos ordinate persequi haud potuimus, cunctas abdominis partes lustrat, vitalique humore vivificat. Ascendens *e*, quam rectum intestinum in sui initio praetergreditur, ramos aliquot serpentinos *h*, *h*, *x*, in surculos innumeros secedentes, tribuit in primis musculo adductori, thoraci, partibusque illi adjacentibus; inde in ramos alios distributa, pallium utrinque circumambit.

Fig. 10. In auriculas *c*, *c* erumpit utrinque amplus truncus venosus, quem *venam cavam* rite nuncupares. Singulae istae venae *n*, *o*, in geminos abeunt ramos, quorum exteriores *nr*, *or*, surculis innumeris, atque exilissimis, totam pallii membranam eleganter intexunt; interiores vero *nm*, *om* venas branchiales constituunt; quae ramis suis, duplici serie pectinatim erumpentibus, perinde ac arteriae comites ipsis subjectae, singulos branchiarum lobos pervadunt, eorumque oeconomiae prospiciunt, quemadmodum in ceteris Molluscis fieri solet.

Vasorum lactiferorum propagines a cunctis Mollusci partibus reduces, su- Fig. 1. per musculo adductore A A postremo colliguntur, quemadmodum ad *xz* exhibentur. Surculus *y*, ejusque socius, oppositos branchiarum lobos respiciens, a branchiis ipsis proveniunt. Cuncti porro influunt in cisternam, quae sub *t* prope abdominis apicem, quâ illud cum musculo adductore colligatur, delitescit [1].

De viribus muscularibus hujus Animantis consulatur Caput VII Partis II nostrae *Introductionis*, pag. 61.

---

(1) Consule Caput III Partis II *Introductionis*, pag. 39.

GENUS IX.

CHAMA.

Ital. *Cama*. Gall. *Came*. Germ. Die Gienmuschel. Belg. *Kom-doublet*.
Angl. *Chame*. Dan. Konstiället.

Generis characteres. Testa bivalvis. Cardo callo gibbo, oblique inserto fossulae obliquae. Area clausa absque labiis.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1137.

Generis descriptio. Quidnam Chamarum nomine prisci Ostracologi intellexerint, tuto definire arduum est. Solertissimus Rondeletius diversis eorum placitis, quoad fieri potest, ad examen revocatis, maximam rei difficultatem in propatulo ponit [1]; Pliniique vestigiis insistens, Chamarum nomine conchas illas intelligendas esse maluit, quae jugiter hiare consuescunt, unde eas *hiatulas* quidam Scriptores cognominarunt. At praeclarus Linnaeus hisce omnibus sepositis in tanta rerum ambage, cardinisque modo naturam respiciens, Chamae Generi conchas illas omnes adscripsit, quarum dentes primarii gibbi, robusti, ac per gradus cardini insidentes, secus conchae marginem inferiorem in longitudinem excurrunt; *Tabula* et qui obliquae fossulae in altera valva excavatae oblique inseruntur, quemad- *XXIII.* modum in Fig. 2 Tab. XXIII conspicere licet. Areola insuper in plerisque nullo *Fig. 2.* distinguitur hiatu.

Colunt ipsae dumtaxat aquas marinas, licet diversa forma, variisque adfectionibus praeditae: quaedam enim cordiformes, quaedam ovatae, quaedam rhomboidae, quaedam denique orbiculatae sunt. Valvae insuper in aliis laeves, in aliis striatae, vel sulcatae, in aliis fimbriis veluti membranaceis insignitae, in aliis spinis, vel mucronibus horrentes: hae parasiticae, marinisque rupibus adfixae; illae liberae sunt, et limo, vel arena obvolutae.

Mollusca simul in ipsis hospitantia pro concharum varietate diversa esse inveniuntur. Idcirco nova prorsus Genera pro iis condere debuimus. Ex quo aperte intelligitur, Animantia ista perperam a Linnaeo ad Tethyos Genus fuisse relata; cujus sane naturam, etiamsi ad unicum Genus traduci possent, nullo pacto aemulari deprehenduntur. Unde existimare necesse est, clarissimum Virum vel nullam, vel imperfectam admodum Animantium horum notitiam fuisse adsequutum.

---

(1) *De Testac.* Lib. I, Cap. VIII, pag. 9.

Rebus itaque bene perpensis, Mollusca Chamis circumclusa ad tria Genera referenda esse statuimus; ad *Psilopum* nimirum, ad *Glossum*, et ad *Limnaeam*. Hujus postremi characteres genericos tum Cap. II Partis II nostrae *Introductionis*, pag. 31, tum pag. 2 hujus Ordinis opportune declaravimus. Qui ad reliqua spectant, quosque ex sedula eorum perlustratione eruimus, singillatim hic tradere suscipiemus [1].

PSILOPVS. *Tracheae binae foraminiformes.*

Branchiae divisae, summis apicibus coalescentes.

Tabula XXIII. Fig. 20. *Abdomen ovato-compressum, abiens in pedem tenuissimum.*

Inspice Fig. 20 Tab. XXIII.

Ex insigni pedis tenuitate Generis hujus nomen derivavimus; ψιλος, *psilos* enim graece *tenuis* est; πους, *pus* vero *pedem* significat.

GLOSSVS. *Tracheae binae foraminiformes.*

Branchiae ultra abdomen simul conjunctae.

Tab. XV. Fig. 34. *Abdomen ovato-compressum; pes linguiformis.*

Inspice Fig. 34 Tab. XV.

Quod *linguam* latine dicimus, graece γλωσσα, *glossa* est. Glossi igitur nomen Generi huic tribuimus, quia pes Animantis, quod perlustrare nobis licuit, tum forma, tum colore, linguam quadantenus referebat. Ob id praecipue Genus hoc a Cerasta, cui maxime adfine est, insigniter discriminatur.

Chamarum gentem late patere certum est; nullamque Testaceorum familiam testas magnitudine praestantiores complecti non est, qui ambigere queat. Quaedam enim ex ipsis, puta Chamam Gigantem, tam longe lateque patent, ut trium circiter pedum latitudinem praeseferant, et quingentas ferme libras et ultra, pondere suo exaequare deprehendantur. Quinas tantum species, quae apud nos occurrunt, modo hic illustrare suscipiemus.

---

(1) Dum Genera Molluscorum Testaceorum condidimus, de quibus Cap. II Partis II *Introductionis*, pag. 27 fuse dictum est, cunctarum Chamarum Animantes nondum nobis comparare licuerat. Et quoniam iis deinceps conquisitis, ad nova Genera eos pertinere comperimus, Generum numerum, quem loco supra memorato statuimus, opportune adaugendum esse didicimus. Id itaque hic loci juxta instituti nostri rationem praestabimus; idem deinceps in schemate generali novae nostrae methodi, quod ad calcem Tomi hujus adponemus, ordine tradituri.

CHAMA COR.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1137.

Ital. *Cama a cuore*. Neapol. *Cocciola zizza*. Venet. *Bibaron de mare*. Gall. *Coeur de boeuf*.
Germ. Die Narrenkappe. Belg. *Zotskap*. Angl. *Fools cap*.

Bonann. *Recr.* Class. II, Fig. 88.
Lister *Hist. Conch.* Tab. CCLXXV.
Rumph. *Thes. Amboin.* Tab. XLVIII, Fig. 10.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXI, Fig. E.
Seba *Thes.* tom. II, Tab. LXXXVI, Fig. 1.
Ginann. *Op. post.* tom. II, Tab. XIX, Fig. 129.

Testae characteres. Testa ampla, cordiformis, subglobosa, laevis, umbonibus exertis, apicibus proceris, crassis, laevigatis, remotis, ac veluti arietum cornua inflexis. *Tabula XXIII. Fig. 1.*

Testae descriptio. Testa ampla, ac fere globosa, cordiformis. Valvae laeves, annotinisque accessionibus instructae, sunt admodum gibbae; umbonesque, et apices ea ratione exertos habent, ut singulae seorsim conspectae, quamdam galeri speciem referre videantur. Earum margo integerrimus, attenuatus. Apices proceri, atque torosi, retrorsum inflectuntur instar cornuum arietis; et epidermate penitus abraso, nitidissimi sunt, atque albescentes. Conchae latera latitudine praestantia diversam formam praeseferunt: anticum minus exertum, ligamento avulso, areae labia ostendit aliquatenus hiantia; posticum magis incurvatum, atque prominens, ad areolae regionem in angulum adsurgit, sinu gemino patulo, ac prope lunato, pone apices insignitum. Tota concha extrinsecus lutea, apices, atque cavitatem albescentes gerit. Cardo genericus dentes exertos, atque amplos habet, quos in Fig. 2, valvas reseratas perhibente, ad *a*, *a*; *b*, *b*; *c*, *c* conspicere juvat. *Fig. 2.*

Historia. Testaceum hoc Thyrrenum, Ionium, Adriaticum, Siculumque mare indiscriminatim inhabitat; numquam tamen data opera a Conchytis deprehenditur; altum enim colit aequor; limoque jugiter obvolutum, nonnisi fortuito in piscatorum retibus, maris fundum veluti averrentibus, irretitum corripitur. Ob hanc itaque rationem concha inanis ut plurimum arripi solet, quae Mollusco exanimato, aquarum vi e luto, ubi delitescit, facile expromitur. Id igitur caussae fuit, cur Molluscum hoc aegre admodum conquirere potuerimus, ad ejus fabricam juxta instituit nostri rationem perlustrandam.

Haud raro occurrit Tethydem Coriaceam, varias Actiniae species, Alcionios, aliaque hujusmodi Zoophyta, conchae huic adnata invenire.

Mollusci characteres. Glossus (Rubicundus) pallio semiconjuncto, ac inferne instar cornuum arietis utrinque contorto; pede rubicundo, fisso.

Tab. XV. *Fig.* 34. Inspice Fig. 34 Tab. XV.

MOLLVSCI ANATOME.

Fig. 34. Fig. 34 Tab. XV Chamam Cor repraesentat valvis reseratis, ad aliquot Mollusci sui partes visui subjiciendas. *a a* est pallium semiclausum; *c*, *c* gemina trachea; *b* pes, atque abdomen e pallii hiatu prorumpentes, branchiisque circumducti. *e* effingit oris rictum musculo adductori infero, quem hic consulto amputavimus, insidentem, labiisque insignitum.

Fig. 36. Animantem hunc concha sua exemtum pronumque in Fig. 36 exhibuimus pallio explicato; cujus limbus *b b c c* ferrugineo colore infectus, cirris exilissimis circumundique distinguitur. Inferne instar cornuum Arietis *d*, *d* hinc inde contorquetur, umbonum testae, quos subit, vestigia sequens.

Tracheae binae foraminiformes *a*, *a* ferrugineo colore illitae, cirrisque circumclusae: superior, sive trachea pallii, amplior inferiori.

Branchiae *ff* subflavae ultra abdomen simul coalescunt. Hic per pallii velabrum translucere cernuntur.

Fig. 34. Pes *b* sublanceolatus, sive potius linguiformis, compressus, anceps, miniaceo colore rutilans, limbo superiori fisso, perinde ac in ceteris Molluscis Chamas omnigenas, quas perscrutari licuit, incolentibus.

Abdomen simul cum pede, in quem abit, tegumentis suis partim denudatum, visceribusque omnino patentibus, consulto delineavimus in Fig. 35. Os *a* labiis proceris, atque cuspidatis *m*, *m*, *n*, *n* refertum, abit in gulam *c*, ventriculumque *b*.

Fig. 35. Ventriculus subovatus, amplus. Subeunt ipsum ductus choledochi ab hepate procedentes, quorum alter prope ventriculum amputatus, exprimitur sub littera *s*. Tractus intestinalis in hoc Animante est admodum speciosus; siquidem ventriculus abit proxime in intestinum amplissimum *o* carnei coloris, rugis transversis innumeris, exilibus, concinnisque crispatum: hoc inferius satis attenuatum, post varios flexus *rrr* ex abdomine prodit, atque cordis *i* cavitatem more suo praetergrediens, desinit postremo in rectum *hp*. Tractus tantum *rrr* sordida colluvie repletus jugiter invenitur; reliqua intestinorum pars semper munda, et vacua.

Hepar viridescens *ee* (vel *hh* in Fig. 36), ventriculo praesertim constratum, ex folliculorum congerie compactum adparet; qui cultro leviter distracti, in totidem acervos, uvae racemos imitantes, distributi inveniuntur; quorum singulos ramus subit ampli vasis sanguiferi universam hepatis substantiam permeantis; haud secus, quam in Mollusco Cardii Rustici [1]. Hepatis hujus partem quamdam Microscopio insigniter adauctam delineavimus in Fig. 30. Musculi funiculares *tx* (Fig. 35), cuncta recensita viscera subeuntes, eadem strenue praestringunt, firmantque in situ suo. *Tab. XV. Fig.* 35. *Fig.* 30. *Fig.* 35.

Ovarium *vv* abdomine praestrictum, per istius tegumenta, in propagines varias elegantissimas more suo distributum, translucebat, ac paullulum turgescere incipiebat mense Aprili. *Fig.* 35.

Cor *i* ovatum, uniloculare, auriculis *l*, *l* utrinque instructum, regionem occupat proxime hepati imminentem; ipsiusque cavitatem permeat more suo rectum intestinum, ut supra dictum est, pergens ad tracheam branchialem. Arteriarum, venarumque eadem, ac in ceteris Molluscis hujus Ordinis, origo est. Earum progressum nullo pacto persequi potuimus, ob maximam partium gracilitatem. *Fig.* 35, 36.

Musculi adductores gemini *ss*, *ee*, satis validi, musculique abdominales, iis adsimilantur, quos in ceteris Molluscis obtinere supra dictum est. Obliquorum tendines hinc ori, inde adductori supero subjectos, ad *y*, *y*, *z*, *z*, in Fig. 35 cernere licet. *Fig.* 36. *Fig.* 35.

CHAMA ANTIQVATA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1138.

Ital. *Cama Scaccata; Noce di mare*. Neapol. *Cocciola de sango*. Germ. Die Seenuss.

Bonann. *Recr.* Class. II, Fig. 98.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXI, Fig. L.

Adanson *Coquill. du Sénég.* Tab. XVI, Fig. 2.

Testae characteres. Testa cordiformis, crassa, ventricosa, in longum sulcata, tessulisque alterne fuscis distincta; transversim vero striata, apicibus reflexis, margine dentato. *Tabula XXIII. Fig.* 12, 13.

Testae descriptio. Testa cordiformis, maxime crassa, ponderosa, tumida, postice coarctata, atque rotundata; antice paullo divaricata, et in rectum veluti excisa. Sulci circiter viginti; totidemque costae patulae rotundatae, inter illos interjectae, valvas in longum discriminant, in antico latere insigniter attenuatae.

---

(1) Vide pag. 54 hujus Ordinis.

Striae praeterea eas in transversum distinguunt. Margo, seu limbus interior, late dentatus. Umbones tumidi, apicesque concinni, proximique, posteriora versus reflectuntur. Area simplex; areola semilunata, minima, fusca, apicibus ferme continetur. Epiderma crassum, fulvum, subvillosum concham universam late obducit; per ipsum tamen tessulae alternatim rufae, atque flavescentes, secus costas digestae, partim translucent: quae porro, eo abraso, longe venustiores evadunt. Testae cavitas niveum candorem reddit.

Tabula XXIII. Fig. 12. *Historia*. Testaceum hoc, quod vix majus subit incrementum, quam in Fig. 12 Tab. XXIII expressum vides, apricum amat litus Crateris Neapolitani, quâ et Castro Lucullano (vulgo *Castel dell'Uovo*), et Pausilypi Promontorio proximum est; latetque sub arena in magna aquarum altitudine. Alias insuper maris plagas Regionem hanc circumfluentes, ipsum inhabitare didicimus. Ejus carnes non ob levem modo austeritatem, qua pollent, sed praecipue ob humorem cruentum, quo pallii lobos compleri demonstrabimus, quique plerisque nauseam procreare solet, a paucis comeduntur.

Mollusci characteres. Limnaea (Multilabiata) labiis multiplicibus, pallio sanguinolento, limbo dentato, pede fisso; utrisque coccineo colore rutilantibus.

Fig. 14. Inspice Fig. 14 Tab. XXIII.

MOLLVSCI ANATOME.

Fig. 17. Limnaeae Multilabiatae concha sua exutae, pronaeque imaginem refert Fig. 17 *Fig. 14.* Tab. XXIII; ejusdem vero supinae Fig. 14. Vincula validiora, quibus ipsa valvis suis *Fig. 17.* adligatur, sunt musculi earumdem adductores *rr.*, *nn*; inde musculus pallii orbicularis *ddhh*. Hic vivide coccineus limbo gemino exornatur, quorum exterior repandus, scapis veluti torulosis alternis postice consitus, in interiores conchae *Fig. 14.* sulcos adigitur, haud secus, quam in Mollusco Cardii Rustici: alter *aa*, quem ille circumdabit, vix supra musculum orbicularem elatus, ubi tracheae regionem attingit, cirris *bb* horrescit. Cirri istiusmodi pariter coccinei nigris maculis conspersi adparent. Pallii velabrum inter geminam membranam, qua compingitur, insignem continet sanguinis copiam coccineo colore rutilantis, qui Animante adhuc vivo, valvisque modice reseratis, maculam amplam refert irregularis formae, interiori conchae disco adhaerentem; at Animante e concha exemto, sacculo veluti oblonge coërceri conspicitur. Saccus hujusmodi porro est adeo infirmus, ut incondita contrectatione plerumque disrumpatur, humorque uberrimus ex ipso effluens contrectantium manus large offundat. Animante in spiritu vini de-

merso, inde humor brevi inspissatur, perque velabrum universum diffusus cernitur. Quaenam sit ipsius natura, Cap. IV Part. II *Introductionis*, pag. 45 prolixe disputavimus.

Summum pallium a parte dorsi obtinet trachea unica *c*, musculo adductori supero proxime subjecta. Ovatam ipsa formam gerit, cirrisque destituitur. Valvula semilunaris *i*, antice ei objecta, ipsam hinc occludit ad libitum Animantis. A recto intestino, ut in ceteris, pervia est. *Tabula XXIII. Fig. 17. Fig. 14.*

Pes *dd* sublanceolatus, vivideque coccineus, sulco paullulum profundo in longitudinem finditur, variasque subit formas, ac longitudines pro re nata. Nonnumquam prope subulatus evadit, ut ad *y* in Fig. 12. Abit ipse in abdomen C ventricosum, desinens inferius in binas coecas appendices *e*, *e* (Fig. 17), arietis veluti cornua imitantes, inque umbones testae fornicatos a Natura consitas. Appendices istae ad jecinoris partem quamdam, ovariique propagines coërcendas dicatae videntur. At jecinoris pars praecipua abdominis basim tenet *oo*, inter cornua praedicta interclusam. Spectabili ipsum praestans magnitudine, folliculis plurimis subrotundis, atque confertissimis fulvi coloris, in varios veluti racemos de more digestis, compingitur, ex quibus inter digitos pressis aurea bilis guttatim erumpit. Hos Microscopio adauctos delineavimus in Fig. 18. *Fig. 14. Fig. 12, 14. Fig. 17. Fig. 18.*

Ovarium tum jecur, tum ceteras partes abdomine coërcitas late contegit; intervallaque inter illas intercedentia propaginibus suis longe lateque pervadit: quod et in ceteris similibus Molluscis generatim obtinere deprehendimus. Foecundatione ineunte, fistulis ramosis *a*, *b*, *c*, in Fig. 11 delineatis adsimilatur, quae praegnatione procedente ab ovis sensim dilatatae, formam ad *d* exaratam consequuntur; mox illam, quam Fig. 6 adamussim repraesentat; donec postremo hepati *ef* (Fig. 19) ea ratione constratum adpareat, ut in Fig. 19 ad *gh* cernere licet. Vasa minima elegantissima *i*, *i*, miris flexibus inter se juncta, ac inter Ovarii propagines serpentia, pulcherrimum oculis spectaculum praebent, dum lente conspiciuntur. Quum ova inibi fota ad maturitatem fuerint perducta, roseumque in primis, deinde miniaceum colorem in lacteum immutarint, limbus pallii, tracheae vicinia, ac vasa branchialia, lacteo simul humore luxuriari cernuntur: qui color supra coccineum pallii, atque tracheae guttatim veluti, ac diversimode conspersus, insignem utrisque conciliat venustatem. Humorem hunc in androgynis hujusmodi Animantibus genitalis seminis functiones praestare jam alibi innuimus (1). *Fig. 11. Fig. 6. Fig. 19.*

---

(1) *Introduct.* Part. II, Cap. VIII, pag. 68.

Ova porro maturitatem suam attigisse deprehendimus mensibus Octobri, atque Novembri; tunc temporis namque abdomen adeo ventricosum adparet, ut sphoericam fere formam induat; ovorumque acervi admodum concinni, per abdominis cutem translucentes, colorem e laete croceo lactescentem universo abdomini tribuunt, ultraque modum speciosum reddunt Animantem. Singula ova

Tabula XXIII. Microscopio perspecta, folliculum ovatum, atque pedunculatum, ad pyri formam

Fig. 24. referunt, ut in Fig. 24. Naturalem ipsorum magnitudinem ad *y* in eadem Fig. delineatam cernes. Nucleus opacus embryonem complectens, folliculorum centrum, vel summitatem obtinet: putamen exilissimum, luci pervium. Ovorum numerus in quovis Animante adeo est immanis, prope ut fidem excedat.

Fig. 14, 16. Os *m* imo musculo adductori proxime incumbit. Labia *ss*, quae in Fig. 16 ad *bb* clarius conspicies, in plures lobos abeuntia, labia veluti multiplicia effingunt; unde Limnaeam hanc *Multilabiatam* cognominavimus.

Ventriculus in jecinore consitus dici jure potest. Ejus tunica est adeo tenuis, ut jecinoris substantia clare per ipsam transluceat. Plura in illius cavitate cer-

Fig. 16. nuntur ostiola, quorum 1 exhibet cardiam, sive gulae *a* ostium inferum, quâ ventriculum respicit. In ejus regione bina alia insunt 2, 2, septo membranaceo, sive potius cartilagineo, a se invicem divisa. In utriusque fundo plures alii poruli se se conspiciendos praebent. Sequitur proxime ostiolum 3, in dextro ventriculi latere situm; eaque omnia id praestare videntur, ut bilis hepatica in ventriculi cavitatem prolabi queat. Omnium postremum est pylorus 4 ducens ad intestina, quae flexibus variis contorta, quemadmodum ad *cde* repraesentatum vides, ex abdomine demum emergunt. Inibi rectum *e* cordis cavitatem permeans, desinit in tracheam.

Fig. 14. Branchiarum lobi *e*, *e*, utrinque gemini, abdominis basim hinc inde circumducunt: apices superi *r*, *r* acuminati, prope tracheam simul junguntur. Earum fibrae, insigniter tenues, confertaeque: color subfulvus. Quisque lobus in gemina folia de more secedit, quae vasorum pectinatorum adminiculo totidem loculos efficiunt ovis coërcendis idoneos [1].

Fig. 17. Thoracem hujusmodi Animantis, sectis integumentis, indicat *aa* in Fig. 17; cujus cavitate cor *s*, ejusque auriculae coërcentur. Viscus hoc, ut clarius dignosci

Fig. 21. queat, lente amplificatum delineavimus ad *x* in Fig. 21. Est ipsum cordiforme, uniloculare, musculorum lacertis implicatissimis compactum, et pericardio involutum. Ejus cavitatem rectum intestinum praetergreditur, ut de reliquis di-

---

(1) Consulatur Cap. III Part. II *Introductionis*, pag. 43.

ctum est [1]. Auriculae *i*, *i* rectiformes, tendineisque repagulis ad retis modum roboratae, dum sanguine inflantur, amplissimae, ac veluti tuberculosae fiunt, ut in ceteris mos est. Abeunt in ipsas hinc inde venae cavae, sive branchiales, *aa*, *cc*, quarum propagines pectinatae *aba*, *afa*; *cdc*, *cgc*, geminos utrinque subeunt branchiarum lobos [2], de quibus supra disseruimus. *Tabula XXIII. Fig. 21.*

Binae aorte *v*, *e*, altera a summo, altera ab imo corde oriuntur: haec abdomen subiens, propagines suas *r*, *s*, *t* cunctis illius partibus tribuit; illa *v* pallio, quâ late patet, musculisque valvarum adductoribus. Nos autem ejus progressum in hac Figura delineare omisimus, quum ob sui fragilitatem nonnisi quosdam ipsius ramos hydrargyro complere potuerimus. *Fig. 21.*

Cisterna lactea musculo adductori supero, perinde ac in reliquis hujusmodi Animantibus, insidere conspicitur. Hoc ut patefieret, branchiarum apices *r*, *r* in Fig. 14 ad latera reclinavimus. Cisternae propagines porro a cunctis Animantis partibus erumpentes, ad ipsam de more pergunt, prout alibi explicavimus [3]. *Fig. 14.*

Postremo Figuram 15 Tab. XXIII attente inspicientibus musculorum compages, quâ Limnaea Multilabiata gaudet, luculenter patebit, si valvarum adductores excipias, quos ab initio commemoravimus. Nonnullos ex funicularibus abdominis inter *aa* delineavimus: ejusdem obliquos *b*, *b*, *c*, *c* sub illos exaratos cernes. Horum tendines *m*, *m*; *n*, *n*, valvarum cavitatibus strenue adhaerescunt: extremitates oppositae, quâ pedem attingunt, ea ratione inter se invicem implicantur, ut substantiam efficiant longe compactiorem, quam ad *xx* Figura demonstrat. *Fig. 15.*

Animantis hujus fabricam cunctis Zoologis adhuc ignotam, omni studio, atque solertia investigare, indeque hic tradere constituimus.

CHAMA CALYCULATA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1138.

Ital. *La Ghianda*. Gall. *Coeur allongé*. Germ. Die Eichelmuschel.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCCXLVII, Fig. 184, 185.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. XC, Fig. F.

Adanson *Coquill. du Sénég.* Tab. XV, Fig. 8.

Born *Test. Mus. Vindob.* Tab. V, Fig. 10, 11.

Testae characteres. Testa subtrapezia, ventricosa, in longum sulcata; latere antico recto, brevissimo; postico exerto, rotundato; margine leviter plicato; intus fusco maculata. *Fig. 7.*

---

(1) *Introduct.* Part. II, Cap. III, pag. 39. (2) *Ibid.* pag. 37. (3) *Ibid.* pag. 39.

Testae descriptio. Testa parva, satis tumida, inaequilatera, formam ovato-oblongam, vel rectius prope trapeziam refert. Latus anticum perbreve rectum fere est, perinde ac margo superior, qui interdum in arcum leviter sinuatur. Latus posticum, totam ferme conchae latitudinem complectens, rotundatum est. Valvae crassiusculae sulcis in longum discriminantur, costaeque interpositae sulcis latiores, ac teretes, transversim crenulatae adparent; interdum etiam squamulis imbricatis exasperantur. Margo plicis levibus insignitur. Areola cordiformis, impressa, exigua. Apices brevissimi versus aream reflexi. Tota concha albida tessulis rufis elegantibus secus radios condecoratur. Intus macula fusca, vel rufa ad latus posticum illita est.

Variat ob colorem flavum, quem valvae reddunt; et ob tessularum, macu-

Tabula XXIII. laeque interioris defectum.

Fig. 7. Apud nos vix majus subit incrementum, quam in Fig. 7 Tab. XXIII repraesentatum vides. At in magnis Oceanis longe procerior evadit, quemadmodum lo-

Fig. 9 co supra citato exhibuit Adansonius. Fig. 9 eamdem concham perhibet latere antico minus prominente, margineque supero sinuato; in quo interdum Natura lu-

Fig. 8. dere, ac variare consuescit: postremo Fig. 8 eamdem concham ostendit valvis diductis, ad ejus cavitatem patefaciendam.

Historia. Chamam hanc filamentis brevissimis saxis adligari refert Adansonius [1], qui illius Animantem nullimode perquisivit. Nos ipsam semper liberam, vel Testaceis diversis, aut rupibus submarinis, valva altera adnatam deprehendimus; neque ulla filamenta in Mollusci corpore invenimus. Nullum apud nos in usum venit, et nonnisi fortuito capitur. A nostris Conchytis nullo nomine indigitatur.

Mollusci characteres. Limnaea (Cruenta) ovato-oblonga; trachea unica foraminiformi, ovata; pallio sanguinolento, laevi; pede bisulco, rubicundo; labiis ovatis, simplicibus.

Fig. 10. Inspice Fig. 10 Tab. XXIII.

MOLLVSCI ANATOME.

Limnaea Cruenta nihil ferme differre videtur a Limnaea Multilabiata, quam Chama Antiquata includi demonstravimus [2]. Color Animantis miniaceus, vel coccineus.

Fig. 10. Pallium *aa*, perinde ac in illa, sanguine scatet. Pallii limbus duplici fimbria

(1) *Coquill. du Sénégal* Part. II, pag. 215. (2) Pag. 116 hujus Ordinis.

exornatur; est autem laevis. Branchiae *c*, *c* eamdem formam praeseferunt, easdemque partes attingunt. Labia *i*, *i* simplicia, ovata, transversimque oblique striata. Pes *b* sublanceolatus, in longitudinem fissus. Ovarium ramosum, labyrinthiforme. Hepar folliculis teretibus, oblongis, simul coacervatis compactum [1].

Ex quibus aperte intelligitur, Limnaeam Cruentam Multilabiatae simillimam (si pallii formam excipias, quae cum testis difformibus ad singulas pertinentibus congruere debet), nonnisi ob geminas qualitates ab illa differre; nimirum ob pallii limbum laevem, qui in Limnaea Multilabiata est leviter dentatus; et ob labia simplicia, quae in eadem Limnaea quadrigemina esse demonstravimus.

Molluscum, de quo agimus, mensibus Martio, atque Aprili a nobis perquisitum, ovarium habebat maxime tumescens; ovaque plurima ad maturitatem perducta, inter pallii lobos jam eliminata comperimus. Ova innumera, sphoeroidaea: Microscopio conspecta, granulis albis exilissimis referta videbantur, quos in sanguine cunctorum hujusmodi Molluscorum similiter obtinere demonstravimus [2].

CHAMA MVRICATA.

Ital. *Cama Muricata*.

Testae characteres. Concha subtrapezia, in longum oblique sulcata, atque muricata; margine dentato; intrinsecus ad latus anticum ex rufo maculata. *Tabula XXIII. Fig. 22.*

Testae descriptio. Concha minima prope trapezia, inaequilatera, ventricosa. Valvae sulcis profundis circiter quindecim oblique decurrentibus discriminantur. Costae teretes interjectae, in proximo digestae, mucronibus crassis, brevibus, obtusis, imbricatim dispositis horrent. Latus posticum brevius, tenuius, ac fere rotundatum. Areola lanceolata, impressa. Area laevis. Apices acuti, reflexi. Margo denticulatus. Testa subalbida tessulis rufis secus costas digestis exornatur. Cavitas alba, macula lata rufa ad latus anticum illita est.

Concha haec praecedenti quodammodo adsimilatur, a qua tamen differt praecipue ob formam magis trapeziam, ob costarum mucrones, marginemque dentatum.

Historia. Concham, de qua agimus, pluribus aliis exilissimis commixtam, atque inanem invenimus in litore maris Adriatici prope Melphictum. Nos ipsam Microscopio adauximus in Fig. 22 Tab. XXIII, ut ejus forma, atque adfectiones *Fig. 22.* plane innotescerent.

---

(1) Musculum adductorem inferum *s s* in medio amputare oportuit in Fig. 10, ad valvas penitus reserandas.

(2) Part. II *Introductionis*, Cap. IV, pag. 49.

CHAMA ACVLEATA.

Ital. *Cama Spinosa*.

Tabula XXIII. Fig. 22. *Testae characteres*. Testa subtrapezia, ventricosa; in longum oblique sulcata, transversimque rugosa; aculeis confertis, minimis, acutis, secus costas instructa; margine dentato.

Testae descriptio. Concha modicae magnitudinis, fere trapezia, maxime tumescens, transversimque elongata. Latus posticum brevissimum. Valvae crassae sulcis profundis circiter octodecim transverse rugosis, ab apicibus ad marginem oblique decurrentibus, discriminantur. Costae teretes, elatae, aculeos gerunt breves, atque acutos, qui ad aream proceriores, confertioresque evadunt. Area elliptica; areola lanceolata. Umbones tumescentes; apices breves, versus areolam reflexi. Margo dentatus. Tota concha albescit; at epidermate flavo tegitur, quod ob nimiam tenuitatem hic illic facile atteritur, atque consumitur.

Concha haec nonnisi inter quisquilias occurrit, quae in retibus, maris fundum in alto averrentibus, implicari solent. Tethydem Coriaceam, vel Madreporam Turbinatam valvarum lateribus ut plurimum adfixam praesefert. Raro capitur; ejusque animantem ignoramus.

Variat ob aculeos muticos, atque brevissimos, qui in adultioribus praesertim, maris vehementia atteruntur. Tum igitur Chamae Muricatae similis quodammodo efficitur; a qua tamen jugiter discriminatur tum ob aliquam formae differentiam, ut ex Figuris liquet, tum ob tessularum, maculaeque fuscae defectum, quibus illa insignitur, tum ob majorem valvarum tumescentiam, tum denique ob *Fig. 23.* sui magnitudinem; haec nempe Figuram 23 Tab. XXIII ut plurimum adaequat; illa vix pisi crassitiem excedit.

CHAMA GRYPHOIDES.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1139.

Ital. *Cama Grifoide*. Neapol. *Spuonnolo canino*. Venet. *Ostreghetta del duro*.

Gall. *Coquille ridée*; *Huitre Ecailleuse*. Germ. Die Felſengienmuſchel.

Belg. *The okergeele Oester*. Angl. *Furbelowed Chame*.

Bonann. *Recreat.* Class. II, Fig 22.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCXV, et seq.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. CI, Fig. C, H.

Adanson *Coquill. du Sénég.* Tab. XV, Fig. 1.

Regenfuss *Collect.* Tab. IV, Fig. 44.

Testae characteres. Testa subrotunda, inaequivalvis, muricata, umbonibus subspiralibus, altero productiore; margine tenuissime crenulato. *Tabula XXIII. Fig. 3.*

Testae descriptio. Concha modicae magnitudinis, subrotunda, crassiuscula. Valva inferior parasitica, amplior, atque gibbosior, umbonem apicemque simul habet proceriores, ac veluti in spiram contortos; adeo ut tota valva auris humanae formam quodammodo imitare videatur. Valva superior, sive opercularis, minor est, minusque umbonata; at usquequaque mucronibus imbricatis horrescit. Hi plerumque mutici, parumque prominentes testam veluti papillosam reddunt. Apex extrinsecus subspiralis adparet. Limbus interior utriusque valvae crenis exilissimis, lente vitrea saepe conspiciendis, exaratur. Tota concha flavescit; nonnumquam maculis roseis distinguitur: intus alba, vel subrubra.

Fig. 3 Tab. XXIII Testaceum hoc repraesentat saxo adnatum, stipatumque *Fig. 3.* Madrepora Calyculata *c c*, et stirpibus Corallinae Officinalis *d d*, quemadmodum saepenumero fieri solet. Vix ad insigniorem magnitudinem apud nos excrescere consuescit, quam ad *a* cernere est. *b* est alterum simile Testaceum mucronibus ferme detritis, sicuti frequentissime deprehenditur.

Historia. Chama Gryphoides vel saxis, vel Testaceis scopulos incolentibus, valva sua inferiori strenue adhaerescit. Nonnumquam aliae aliis inter se invicem adnascuntur, acervosque exiguos componunt, qui a furente pelago interdum divulsi, super litus ejiciuntur. Nullas mensas adire consuescunt, neque umquam venales prostant in foro piscatorio. Magnitudine praestantiores, dum fortuito a Conchytis capiuntur, crudae ab iisdem in cibum usurpantur; ii namque secus ac venatores, quid quid edule arripere contigit, avidissime appetere consuescunt.

Mollusci characteres. Psilopus (Cornu copiae) pallii limbo ferme clauso; branchiarum lobis inferioribus brevissimis; pede tereti clavato, e medio abdomine erumpente, ad radicem mucronato.

Inspice Fig. 20 Tab. XXIII. *Fig. 20.*

MOLLVSCI ANATOME.

Psilopum Cornu copiae, qui conchae subrotundae adnatus, in orbem se se colligit, abdomineque retrorsum porrecto valvae inferioris apicem subspiralem subit, e latere repraesentatum cernes in Fig. 20 Tab. XXIII, pede extra pallium *Fig. 20.* exerto. Illum deinceps pallii limbo dissecto, musculoque adductore infero transversim amputato in rectum distendimus, paulloque amplificavimus, ut cunctae illius partes intuentium oculis plane subjicerentur. Hunc igitur in Fig. 4 ejus- *Fig. 4.*

dem Tabulae delineatum conspicies. Testae marginem AB attingit prope pallii limbus geminus *aa*, *cc*, cirris subulatis consitus adeo exiguis, ut nonnisi lentis vitreae adminiculo perspici queant. Limbi isti prorsus inter se coalescentes, non-
Tabula XXIII. nisi arctum hiatum relinquunt proxime sub trachea branchiali, per quem pes
Fig. 20. Animantis, dum ei lubet, educi queat. Hiatum hunc in Fig. 20 inter x, et y consqicere juvabit. Praeter musculum pallii orbicularem, quo pallium ipsum conchae margini in ambitu adfigitur, bini insunt musculi valvarum adductores, tum crassitie, tum firmitate pollentes, quibus totum Animantis corpus usitato more
Fig. 4. valvis ipsis strenue adligatur: *ee* est musculus adductor superus, subteres ut in reliquis; *bb* est inferus in medio dissectus, ut supra monuimus. Quoniam ipse latitudine praestat, et conchae limbo adhaerescit, in arcum se se convertat necesse est; ideoque eo intemerato, etsi pallii limbus ultra ipsum discindatur, Animantis partes pallii lobis comprehensae, nonnisi aegre, et partim conspici pos-
Fig. 20, 4. sunt. Capita hujusmodi musculorum sub z, z repraesentavimus in Fig. 20; m, n sunt binae tracheae foraminiformes, altera alteri imminens. Utraque cirris multiplicibus, subulatis, sulphureis in ambitu obsita est; intus vero ex fusco croceoque eleganter variegata. Suprema m, quae majori patet hiatu, est trachea
Fig. 4. pallii; infima branchialis. Inter utrasque areola trapezia i intercedit, croceo colore, maculaque fusca centrali conspicua. Incumbit ipsa musculo ramoso *rr*, cujus propagines pinnatae, s, s, t, t, etc., niveoque candore coruscantes, regulari ordine hinc inde exertae, valvarum cavitati adhaerescunt. Has trachearum hiatibus opportune dilatandis, vel contrahendis aptissimas esse existimamus.

Fig. 4. Abdomen C ovato-compressum, fulvoque colore spectabile, abit superne in pedem niveum d, teretem in primis, exilem, rugosum, valde contractilem, mox clavam, interdum etiam lanceam mucronatam referentem. Pedi Loripedis Orbiculati [1] quodammodo adsimilatur; at nonnisi ligulae, hac illac se se flectentis pro Animantis lubitu, munus absolvit; testa siquidem marinis rebus radicitus adligata, progrediendi facultatem Animanti huic omnino adimit. Abdominis musculi iis adsimilantur, quos in ceteris Molluscis adhuc enucleatis obtinere dictum est. Per hujusmodi tegumenta ramosae lacteaeque ovarii propagines gestationis tempore adeo manifeste translucent, ac si nullis tegumentis tegerentur [2].

Fig. 4. Secus basim abdominis branchiae *ff*, *hh* utrinque adligantur. Etsi quadrilobae eae sint, ut in ceteris hujusmodi Animantibus, binis tantum lobis compa-

---

(1) Consule ea, quae dicta sunt in pag. 47 hujus Ordinis, effigiemque iis respondentem.

(2) Inspice Fig. 20 Tab. XXIII.

ctae videntur; siquidem lobi inferiores extra modum exigui, nonnisi in aqua fluctuantes conspicui sunt prope tracheas. Branchiae istae sunt ampliores, elatioresque, quam in ceteris Molluscis longe procerioribus. Extimus loborum limbus est eleganter marginatus; plicae namque praedictae, ubi limbum hujusmodi attingunt, tenuissimae, ac confertissimae evadunt, fimbriaeque speciem satis venustam efficiunt.

Imo abdomini subest os *x* labiis quaternis 1, 1, 2, 2 communitum, quae plicis transversis amplis, elatisque, branchiarum plicis adprime respondentibus, gaudent. Succedit ori gula, mox ventriculus; intestinaque ab eo prodeuntia post varios flexus desinunt in tracheam branchialem *n*, per quam excrementitia colluvies excernitur. *Tabula XXIII. Fig. 4.*

Ventriculus, atque intestina usitato more ab hepate foventur, cujus folliculos globulosos bile completos, quemadmodum Microscopio inspecti adparent, in Fig. 5 cernere juvat. *Fig. 5.*

Viscus testaceum griseo colore offusum illam obtinet Animantis regionem, quam in ceteris obtinere demonstravimus.

Gestationis tempore universos abdominis anfractus, ut moris est, lustrat Ovarium, quod cunctas Animantis partes simul tegit. Hoc ad *v v* in Fig. 20 cernere est. Mensibus Februario, Martio, atque Aprili, adeo longe lateque luxuriatur, ut non abdominis modo capacitatem profluenter compleat, atque distendat, sed duplicem pallii membranam subiens, illam infarciat usquequaque. Membrana ista tunc temporis maculis fuscis inaequalibus undique variegata adparet, quae Ovario niveo adpositae totum Animal reddunt venustate praestantem. Super pallium, atque Ovarium surculi vasorum plurimi 3, 3 perreptare conspiciuntur. Ova globulosa, innumera prope ut fidem excedant, putamine membranaceo coërcentur, nucleumque centralem praeseferunt. Mensibus supra dictis ad maturitatem perducta, et a loculis suis ejecta, inter pallii lobos adfatim profluentia lente conspeximus [1]. *Fig. 20.* *Fig. 4, 20.*

Cor uniloculare auriculis instructum est, e quarum regione plurimae venosae propagines erumpunt, quae super universam pallii membranam, ut ad 3, 3, late reptare conspiciuntur. Arteriarum trunci, ut in reliquis Molluscis hujus Ordinis; at eorum propagines prae summa tenuitate nullo pacto persequi potuimus. *Fig. 4.*

---

(1) De androgyna horum Animantium natura, Part. II *Introductionis*, Cap. VIII, pag. 67 fuse dictum est.

Tabula XXIII. Fig. 4. Musculo adductori supero *e e* incumbit de more cisterna lactea *o* prope tetragona. Quatuor vasorum lactiferorum trunci *v*, *v*, *z*, *z*, lacteo humore turgidissimi, in ipsam illabi conspeximus lentis adminiculo, quorum bini *v*, *v*, sursum pergunt secus limbum interiorem musculorum trachearum *t*, *t*; bini reliqui deorsum; qui porro ubi ad basim abdominis pervenerint, sursum iterum reflexi, interiorem branchiarum oram legunt, illisque prospiciunt.

Pallii tantum, pedisque formam retulit Adansonius in suo egregio Opere, cui titulus *Histoire naturelle du Sénégal* (1); addiditque interiorem Mollusci fabricam eamdem ferme esse ac Ostreae Edulis. Quantum a veritate in hoc aberraverit Vir ceteroquin praestantissimus, ex iis, quae hucusque dicta sunt, luculentissime patet.

GENVS X.

ARCA.

Ital. *Arca*. Gall. *Arche*. Germ. Die Arche. Belg. *Arken*. Angl. *Arkshell*. Dan. Arken.

Generis characteres. Testa bivalvis, aequivalvis. Cardo dentibus numerosis, acutis, alternis, insertis.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1140.

Generis descriptio. Conchas bivalves cardinem ea ratione compactum praeseferentes, ut denticuli plures conferti, secus alterum valvarum marginem seriatim digesti, se se alternatim excipiant, sicuti ad *a a* in Fig. 3 Tab. XXVI, inter Arcas inscripsit praeclarus Linnaeus. *Tabula XXVI. Fig. 3.* Nulli fortasse concharum generi tantam cum formae, tum qualitatum, tum denique magnitudinis varietatem Natura largita est, quam Arcae. Equidem plures ex ipsis rhomboides, quaedam ovatae, quaedam lentiformes, quaedam subglobosae esse videntur. Nonnullae sulcatae, vel striis obsitae; nonnullae laeves, vel tenui sericeoque epidermate, vel pilis rigidis horrent: sunt, quae intrinsecus margaritaceo fulgore nitent. Margines insuper in quibusdam dentati, vel crenati, in quibusdam integerrimi deprehenduntur. Aliae demum exiles, aliae mediae magnitudinis, aliae amplissimae, eximioque pondere, atque crassitudine spectabiles sunt.

Diversam valvarum formam diversa simul Animantis, quem tegunt, natura comitatur. Animantia haec Zoologis universis adhuc ignota (2), ad geminam Familiam, ac proinde ad duo diversa Genera referenda esse observationes complures a no-

(1) Part. II, pag. 206. (2) Consulatur Born *De Test. Mus. Vindob.* pag. 86.

bis peractae docuerunt: alterum conchas subrotundas, alterum rhomboides, ovatas, aliasque hujusmodi formas gerentes, spectat. Illi *Axinaeae* nomen, huic *Daphnes* imposuimus. Nominum hujusmodi rationem Part. II *Introductionis*, Cap. II, pag. 32 et 33 relatam invenies.

Characteres genericos Axinaeae hos esse constituimus:

Trachea nulla.
Branchiae divisae, apicibus superioribus liberis.
Pes securiformis, transversim fissus.

Inspice Fig. 7 Tab. XXVI. *Tabula XXVI. Fig. 3.*

Signa Daphnes generica sequentibus verbis definimus:

Trachea nulla.
Abdomen pedunculatum pedunculo cartilagineo, compresso, ancipiti, radicante. Pes nullus.
Branchiae disjunctae apicibus superioribus pendulis.

Inspice Fig. 3 Tab. XXIV. *Tabula XXIV. Fig. 7.*

Universa Arcarum turba nonnisi salum colit. Quae Axinaeam in genere obducunt, altum pelagus inhabitare consuescunt limo obvolutae: quae vero Daphnaeae genti tegumento sunt, litoreas plagas amant, scopulosque virentes, quorum saxis firmissimo vinculo adfixae vitam degunt. His frequentissime et variae Sertulariae species, et Fuci, et Corallina Officinalis, atque Opuntia, Ulva Pavonia, aliaeque hujus generis stirpes marinae valide adnatae deprehenduntur, quae ipsas longe lateque circumundique cooperiunt. Interdum etiam Chitonibus, Chamis, Spondylis, Mytilis, Serpulis, Madreporis, Milleporis, Spongiis, aliisque similibus Testaceis, Zoophytis, atque Lithophytis basim firmam suppeditare cernuntur. Mirum Arcarum Mollusca, sive ad Axinaeae, sive ad Daphnes Genus pertineant, longaeviora prae ceteris esse, quamvis ab aqua educta, ciboque destituta, sicuti in peculiari singulorum historia declarabimus. Notandum insuper Animantia ista licet Genere inter se dissimilia, quoad peculiares branchiarum qualitates, anterioremque pallii regionem penitus adsimilari, quemadmodum ex illorum anatome luculentissime patebit.

Pro faciliori concharum notione eas in quatuor sectiones dispertire juvabit; quae sequentibus notis insigniuntur.

I. Margine integro, apicibus inflexis.
II. Margine integerrimo, apicibus recurvatis.
III. Margine crenato, apicibus inflexis.
IV. Margine crenato, apicibus recurvatis.

Aequor utriusque Siciliae uberrimam gignit undique Arcarum copiam, quae ad sequentes species referuntur.

* Margine integro, apicibus inflexis.

ARCA NOAE.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1140.

Ital. *Arca di Noè*. Neapol. *Spera*. Venet. *Cofano di grotta*. Graec. vulg. *Calagnone*. Tarent. *Gavatone*. Gall. *Arche de Noè*. Germ. Die Noahs Arche. Belg. *Noachs-Ark*. Angl. *Noahs Ark*.

Rondelet. *De Testac.* Lib. I, pag. 27.
Bonann. *Recreat.* Class. II, Fig. 32.
Lister *Hist. Conch.* Tab. CCCLXVIII, Fig. 208.
Rumph. *Thes. Amb.* Tab. XLIV, Fig. P.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXXVII, Fig. H.

Testae characteres. Testa navicularis, rhomboides, transversim oblongata, in *Tabula XXIV.* longum profunde striata; apicibus inflexis remotissimis; margine integro, hiante.

Fig. 1. *Testae descriptio*. Testa ampla transversim elongata, rhomboides, maxime tumida, naviculam prope referens. Latus anticum aliquatenus depressum, ac veluti excisum: posticum longe brevius, rotundato-angulatum. Valvae tenues, ac semipellucidae striis profundis inaequalibus, ad latera elatioribus; in longum exarantur, quas aliae transversae, atque exilissimae circumducunt. Nonnumquam annotinis quoque accessionibus distinguuntur. Epiderma foliaceum dilute flavescens, per series transversas, ac veluti fimbriatim, praecipue secus ambitum, illas exornat: quod in conchis pelago saeviente super litus jactatis, ibique reiteratis ictibus arena, vel lapidibus confricatis, saepenumero deesse invenitur. Unam ex ejus *Fig.* 4. laciniis Microscopio conspectam exhibemus in Fig. 4, quo adpareat ipsum organica veluti structura gaudere; equidem vasorum vestigia, in ramos hinc inde abeuntium, praeseferre videtur. Umbones maxime tumescentes in apices desinunt obtusos contra se invicem inflexos. Area inter ipsos interjecta amplissima, atque explanata, rhomboidem formam refert, quae striis pariter in rhombi formam dispositis, aliisque in aliis successive inscriptis, usquequaque insculpta adparet. Ambitus conchae subinde flexuosus; limbus interior laevis, ad latera interdum leviter crispatus. Cardo rectilineus, ab uno ad alterum conchae latus protensus, denticulis minimis, linearibus, confertis, hinc inde alternatis, compingitur, qui lente vitrea inspecti apicem bifidum gerere deprehenduntur. Tota concha sordibus detersa fusco colore offunditur albo variegato. In plerisque fasciae fuscae, atque

sinuosae, valvas alterne circumcingentes, ipsas reddunt quam maxime decoras. Cavitas ex fusco albescit. *Tabula XXIV.*

Fig. 1 Tab. XXIV Testaceum hoc e latere exhibet pedunculo exerto, quo rupibus submarinis adligari solet. Fig. 2 eamdem concham repraesentat basi sua oculis objecta. *Fig. 1.* *Fig. 2.*

Historia. Arca Noae eadem prorsus colit loca ac Spondylus Gaïderopus, quocum promiscue vivere consuescit. Itaque virentibus scopulis submarinis cum pedunculi sui tubere radicitus adhaeret, tantaque vi, ut saevo fluctuum impetu jactata, a pedunculo ipso nonnumquam divellatur, quin ille a scopulo extirpari queat. Quare Conchytae clavo ferreo utantur oportet ad ipsum divellendum. Nescimus profecto cur Rondeletius [1], atque Bonannius [2] dixerint Arcas hasce in alto sub luto delitescere, ubi sane nullae umquam deprehenduntur.

Hujusmodi Testaceis maxime abundat mare Thyrrenum, sinusque Tarenti, quammaxime vero ora Crateris Neapolitani, quâ late ipsam mare circumfluit. Ad duorum et ultra passuum altitudinem inibi demersa vivunt. Eorum carnes hiberna solum tempestate a plebeiis comeduntur, vel crudae, vel oleo, mica panis, ac petroselino in testis suis conditae, et super igne tostae. Mensas exquisitas raro adeunt. Mensibus aestivis, dum ovis complentur, saporem adeo acrem austerumque ingerunt comedentium faucibus, ut nullo pacto in cibum usurpari queant.

Mollusci characteres. Daphne (Fusca) ex fusco rufoque maculata, stipite laete viridescenti. Inspice Fig. 3 Tab. XXIV. *Fig. 3.*

MOLLVSCI ANATOME.

Antequam Daphnes Fuscae in Arca Noae hospitantis interiorem partium fabricam perlustrare adgrediamur, praestat ipsam intueri conchae suae adhuc adfixam, valvis, quantum fieri potest, a se invicem diductis. Itaque AABB in primis valvarum ambitum ostendit; *abc* pallii limbum interiori illarum margini strenue adhaerentem. C, C sunt branchiarum lobi, pallii membranae utrinque incumbentes. DE exprimit Animantis corpus ad *d* paullo attenuatum, propeque bisulcum. *Fi* est stipes veluti coriaceus, sive potius corneus, Animantis abdomini arcte adnatus, cujus adminiculo, specialiter vero basi sua F, Testaceum hoc saxis, stirpibus, aliisque hujus generis substantiis validissime adligatur. Oris hia- *Fig. 3.*

(1) *De Testac.* Lib. I, pag. 28. (2) *Recreat. Ment. et Oc.* Class. II.

tus exprimitur ad *e*, gemino labiorum pari, *n*, *n* insignitus. *m m*, *o o* musculos exhibent valvarum adductores, quorum postremum superscanditur a recto intestino *r*, duplici ligamento *s*, *s* tunicae musculari hinc inde adligato.

Tabula XXIV. Fig. 3.

His leviter perspectis, ad pleniorem, penitioremque partium lustrationem instituendam Animantem hunc e concha exemtum a parte dorsi contemplabimur. ACD igitur exhibet pallium lobo altero CD explicato, altero autem AC partim contracto; equidem ambo simul explicari non possunt ita ut eorum partes distincte indicari queant. Ejus limbus duplex est: lamella inferior laevis, atque albescens, conchae margini strenue adhaerescit; superior vero colore miniaceo pone fasciata, desinit in fimbriam nigricantem, quae cirrorum exilissimorum seriem lentis vitreae adminiculo secus basim praeseferre conspicitur. Musculus orbicularis *ab* etc. fibrillis confertissimis, implicatis, argenteo nitore conspicuis compingitur. Pallii membrana, perinde ac limbus, colore saturo fusco, qui contrectatus manus inficit, depicta, vasculis innumeris exilissimis *e e* etc., in ramos crebro abeuntibus, ac lente tantum conspiciendis gaudet, de quibus infra disseremus. Praeterea propagines vasorum lacteorum elegantissimae *f*, *g*, *c*, *c* etc., a cisterna lactea derivatae, lacteoque humore turgidae, nonnumquam nudis oculis super ipsam perreptare conspiciuntur.

Fig. 9.

Tegit dorsum Animantis hujus tunica tendinea, atque crassiuscula *hhh*, hepati praecipue, atque ovario superstrata. Secedit ipsa utrinque in plures tendineas veluti propagines 1, 2, 3, 4 etc., quibus ovarium transversim veluti illaqueatum videtur.

Fig. 9.

Pallii membrana ad B, F in geminos veluti mucrones obtusos adsurgit, qui umbones testae fornicatos subeuntes, illis strenue adhaerescunt. Secus elatas utrinque pallii partes *Br*, *Fd* vasa branchialia excurrunt, per illius membranam translucentia.

k k, I I sunt gemini musculi valvarum adductores, quorum postremus arcto duorum complexu *x x*, *y y* conflatus adparet: hic album colorem reddit; ille leviter cinerascit. P, P, *n*, *n* spectant ad abdomen, ut postea demonstrabimus.

Fig. 9.

Imum prope abdomen obtinet viscus *v v* subovatum, fuscum, surculisque vasorum exilissimis distinctum. Ejus naturam, atque munus tuto definire non audemus: viscus testaceum esse haud injuria suspicamur.

Fig. 9.

Demum *s*, *s* exhibent corda gemina, quibus Molluscum hoc peculiari Naturae munere communitur. Eorum descriptionem, atque circulationis vias cumulate infra explicabimus.

Haec omnia Animantem pronum conspicientibus aperte patent: ad reliqua probe dignoscenda, abdominis tegumenta discindere oportet. In primis itaque considerandus venit ventriculus, atque intestinorum tractus, quos, ceteris partibus exemtis, ad naturae normam inflexos in Fig. 12 seorsim delineavimus. *a* exhibet os labiis *bb* refertum. Influit ipsum in gulam *c* ducentem ad ventriculum *mm*, quem hic in longum dissecuimus. Est hic subrotundus, variisque anfractibus praeditus, qui ut luculentius paterent, ipsum una cum diversis orificiis, quibus gaudet, maxime amplificatum, similiterque dissectum repraesentavimus in Fig. 13. *Ab* itaque est gula in longum discissa: 1, 2, 3, 4 etc. orificia exprimunt, per quae bilis ab hepate derivata effluit in ventriculum. 5 exhibet pylorum ducentem ad intestina *xy*, quorum tractus universus ad *rstv* in Fig. 12 adparet. *i*, *i* sunt gemina ligamenta, quorum adminiculo rectum intestinum prope sui apicem musculi adductoris tegumento firmiter adligari declaravimus. Ventriculi cavitatem subit de more stilus crystallinus *f* (Fig. 14), sagitta tricuspide *e* communitus, quam longe auctiorem conspicies in Fig. 15. *Tabula XXIV.* *Fig.* 12. *Fig.* 13. *Fig.* 12. *Fig.* 14. *Fig.* 15.

Ventriculum atque intestinorum partem, ceterorum hujusmodi Molluscorum ritu, involvit Hepar; quod licet folliculis subovatis bile turgescentibus de more compingatur, in eo tamen a ceteris differt, quod folliculorum acervi ea ratione pedunculo sibi subjecto insistere videntur, ut cucurbitarum imaginem prope referant pedunculis suis adhaerentium. Pedunculi isti niveo candore nitent, et aeque ac folliculi humore turgescunt; at iste viridescens, ille veluti lacteus est. Figuram 11 intuentibus et follicorum acervi *a*, *e*, *d*, *f*, *g*, etc., et pedunculi *c*, *s*, *r*, *n*, etc., e quibus derivare videntur, Microscopio longe adaucti adparebunt. *Fig.* 11.

Non hepatis modo, ventriculique regionem, sed cunctos prope abdominis anfractus foecundationis tempore rimatur Ovarium. Est illud, uti solet, amplissimum, labyrinthiforme, in plurimas propagines dispertitum, roseoque nitore conspicuum. Haud aliter ipsum in Fig. 13 exhibuimus, quam per Microscopium conspeximus, cujus adminiculo ova simul pedunculata contemplavimus, quae in Fig. 14 observari queunt. Ovorum numerus, quae in se fovet, immanis prope ut fidem excedat, et solertissimum quemque ab illius investigatione deterreat. Ad vicies centena millia ea abire in singulis Molluscis opportune alibi declaravimus [1]. *Fig.* 13. *Fig.* 14.

Partes istas universas perstringunt circumundique abdominis musculi, atque tegumenta. Totam illorum compagem in situ naturali, abdomine dumtaxat secus Mollusci dorsum discisso, ac diligenter exenterato, in Fig. 10 cernere juvat. A, B C *Fig.* 10.

---

(1) *Introduct.* Part. II, Cap. VIII, pag. 72.

sunt musculi valvarum adductores: *m f*, *o n* sunt musculi obliqui abdominales, eximia crassitudine, roboreque pollentes, qui capitibus suis *m*, *o*, *b f*, *d n*, adeo strenue valvis adfixi inveniuntur, ut opus arduum iis exhibeant, qui illos exinde sine ulla labefactatione divellere nituntur. *g g*, *h h* sunt abdominis tegumenta, quibus musculi recti *y y*, *z z*, hinc inde substrati adparent. Denique *r r*, *s s*, ceterique, quos inter *y y*, et *z z*, utrinque amputatos conspicies, musculos exhibent funiculares, sive transversos, quibus omnia abdominis contenta validissime perstringuntur, et in suo peculiari situ detinentur. Ad *x* oris rictum inspicies in tegumentis abdominalibus insculptum.

Tabula XXIV.

Fig. 5. Medium abdomen R S desinit in aream ovatam *c c*, e cujus fundo cumulus carnosus V, subconicus, anceps, exsurgit, lamellis plurimis, musculosis, obliquis *Fig.* 6. compactus, quarum singulae pares subeunt lamellas prope corneas D E stipitis viridescentis, cujus ope Molluscum, de quo loquimur, vel saxis, vel marinis substantiis stenue adfigi jam diximus. Quamvis autem musculosae hujusmodi lamellae inter totidem stipitis anfractus valide compressae, forti vinculo illi adhaerescant, ejusdem tamen radix substantiis marinis nuper commemoratis tanta vi adnascitur, atque adligatur, ut testis a Conchytis manibus arreptis, strenueque divulsis, non stipitis radices a saxis, sed frequentissime cumulus musculosus prae- *Fig.* 5, 6. dictus a stipite divellatur. Utrosque in Fig. 5, et 6 ea ratione ex adverso disposuimus, ut alter alterum in se recipere videatur. Lamellarum cornearum com- *Fig.* 7. pages in stipite *x x* in longum dissecto, in Fig. 7 adparet: alteram vero lamel- *Fig.* 8. lam a reliquis avulsam, et Microscopio adauctam in Fig. 8 cernere est.

Postremum moliminis hujus nostri stadium viae circulationis constituunt; quas, ut manifeste patefiant, seorsim digestas, atque hydrargyro repletas repraesentabimus in Tab. XXV.

T. XXV.

Fig. 2. Corda gemina *i*, *i*, trapezia, subrubra, unilocularia, tenuisssimo pericardio tecta, lacertisque musculosis de more communita, in dorsi regione hinc inde locata esse perhibuimus. Gaudent singula binis auriculis inaequalibus *a*, *c*, *a*, *c*, tendinosis veluti repagulis ad retis formam intextis, uti solent, insignitis, quarum alteram *c* subeunt arteriae, alteram *a* venae. Illa exigua, atque angusta, *superior*; haec in sacculum ampliorem dilatata, *inferior* dici posset. Utramque valvulis esse interclusam pro comperto statuimus; hydrargyrum namque in corda injectum libere arterias subit; at ex iis in corda remeare nullo pacto potest. Pari ratione hydrargyrum ipsum a venis transvectum, libere influit in corda per auriculas inferiores *a*, *a*; e cordibus ex adverso minus redit ad venas. Quod in aliis hujusmodi Molluscis simul obtinere demonstrabimus.

Auriculae cordis superiores *c*, *c* abeunt utrinque in truncum arteriosum *e*, *e*. *T. XXV. Fig. 2.* Ambo hi trunci in binos ramos *r*, *r*, *s*, *s* utrinque dividuntur, quorum *r*, *r* deorsum, seu versus oris regionem; *s*, *s* vero sursum [1], seu versus rectum intestinum pergunt. Aequa prope est utriusque conditio; illi namque ad hepatis regionem perducti, ad *b* simul coalescunt; hi paullo infra capita musculorum abdominalium *dp*, *dp* ad *t* simul coëunt. Truncus porro *o* ex ramorum *r*, *r* coagmentatione derivatus, ad dexterum abdominis latus vergit; et quum ad caput alterum *m* musculi obliqui abdominalis pervenerit, in geminos ramos dispertitur, quorum amplior *n* intra abdomen reflectitur, alteque illud pervadit; angustior vero *u* paullulum flexus pallii limbum attingit, et dichotomus evadit. Utraeque ipsius propagines *hf*, *hf*, circum pallii limbum utrinque excurrentes, surculis suis plurimis, atque exilissimis, mirifice inter se invicem intextis (ut ad *v*, *v* cernere licet); et limbum illum universum, et fimbriam, et cirros mirabili prorsus ratione obducunt, quemadmodum in Pinnae Mollusco obtinere demonstrabimus.

Universi arteriarum trunci hucusque declarati ea ratione super dorsum Animantis repunt, ut proxime sub peritonaeo locati esse videantur: at surculi varii 1, 2, 3, 4, etc. ab iis prorumpentes, abdomen alte pervadunt, et hepati, ventriculo, intestinis, ovario, aliisque abdominis partibus largiter prospiciunt. *Fig. 2.*

Truncus alter *t t*, quem ex arteriarum *s*, *s* conjunctione oriri innuimus, recta intra canaliculum excurrens, qui inter musculorum abdominalium *dp*, *dp* oras interiores intercedit, proximeque recto intestino subjacet, musculum valvarum adductorem A A petit. In toto hujusmodi cursu propagines innumeras valde exiles, atque elegantissimas (quas inter *xx*, *yy* utrinque delineatas cernes) musculorum praedictorum abdominalium lacertis largitur. Ubi musculi adductoris A A imam oram attingit, in geminos ramos 7, 7, dispertitur, qui in surculos plurimos divisi, super pallium, quâ late patet, distribuuntur. Ceteri vero 8, 8 valde tenues (quos in Figura deorsum protensos delineavimus) musculum adductorem A A superscandunt, et super faciem ejus anteriorem reflexi, surculos plurimos laterales perhibent, rectum intestinum *k* complectentes; reliqui super musculum praedictum late dispersi, cum vasis lactiferis ea ratione coëunt, ut hydrargyrum in illos injectum, libere in istos manare conspiciatur. Quod in aliis Molluscis etiam obtinere observavimus. *Fig. 2.*

Quae hactenus dicta sunt arteriosas propagines respiciunt, quas Animantis dorsum obtinere deprehendimus; at ipsum supinum perlustrantibus complures

(1) Figuram hanc, perinde ac Fig. 3, inversam invenies in Tabula ob sculptoris oscitantiam.

T.XXV. aliae aeque mirifice distributae conspiciendas se se praebent. Hydrargyrum igitur
Fig. 3. in truncum arteriosum *ab* injectum, vasorum systema extemplo patefecit, quod perinde ac Fig. 2, paullo amplificatum delineavimus. Truncus *ab*, ejusque socius *cd* in opposito latere, secus mediam branchiarum semitam digesti, innumeros perhibent hinc inde ramos pectinatos, qui in surculos plurimos, ac multipliciter inter se coëuntes expansi, per totam branchiarum compagem, quemadmodum ex Figura patet, distribuuntur. Rami gemini *eof*, *stg* ex trunco isto derivati, propaginibus innumeris mirifice inter se coëuntibus rete vasculosum elegantissimum super pallii membrana effingunt. Nobis universum illorum progressum haud prosequi datum est. Paullo infra ex eodem trunco *eb* ramus alter erumpit, qui deorsum reflexus, adit ignotum viscus ad abdominis latera locatum, prout supra dictum est, surculosque plurimos illi largitur. Postremo ex trunco *ii*, duplicem *ab*, *cd*, e regione positum simul conjungente, ac reliquorum amplissimo, bini alii emergunt *ih*, *ik*, mediusque solitarius *nm*: illi secus abdominis latera hinc inde super pallii membranam excurrentes, hepar demum subeunt, ibique in surculos plurimos dividuntur; solitarius autem *nm* secus anticam abdominis regionem elatus, propaginibus suis utrinque protensis abdomen ipsum circumplectitur, ejusque tegu-
Tabula XXIV. menta vitali humore irrorat. Qui propagines istas in naturali situ conspicere cu-
Fig. 5. pit adeat Fig. 5 Tab. XXIV, ubi e ramo *n*, de quo loquimur, amputato, propa-
T.XXV. gines *no*, *nm* derivatae exhibentur. Truncum praedictum *ii* cum aortae trunco
Fig. 3, 2. *tt*, de quo supra dictum est, communicare arbitramur.

Arteriarum systemate exacto ad venas deveniamus. Ad id praestandum dice-
Fig. 2. re oportet majorem cordis auriculam, sive inferiorem *a*, secus venam branchialem *gg*, arteriamque comitem *qq* cum basi sua valide adhaerere; at ex ima regione basis hujus truncus venosus *z* procedit, qui angulo facto cum praedicta vena branchiali *gg*, in ipsam influere conspicitur. Ex ista, quemadmodum fieri solet, surculi utrinque pectinatim emergunt, in alios plurimos, atque exilissimos abeuntes, et universam branchiarum compagem, sicuti de arteria dictum est, late investientes. Hoc idem in altero latere B B simul obtinere intelligatur. Illud in Mollusco, de quo loquimur, inest admodum singulare, quod ex praedictarum auricularum basi surculi aliqui emergunt 5, 6, 9, qui super venas branchiales *gg*, *BB* transvecti, indeque in plures propagines *l*, *l* divisi, crebris mirisque anastomosibus inter se coëuntes, longe lateque super pallii membranam distribuuntur. Hoc idem in ceteris hujusmodi Molluscis pariter obtinere, analogia strenue nobis persuademus, etsi numquam vasculos illos hydrargyro repletos conspexerimus.

Ad circulationis vias cumulate enucleandas reliquum est ut vasorum lacteorum progressus breviter prosequamur. Quare praecipuos tantum ipsorum truncos in naturali situ in Fig. 3 ad *yzzy* contemplari juvabit: eosdem Microscopio amplificatos, ac propaginibus universis instructos, in Fig. 1 cernere est, quam modo explicare adgrediemur. *T. XXV. Fig. 3.*

CC est musculus valvarum adductor, cui et cisterna lactea *o o*, et praecipui vasorum lacteorum trunci, et novissima recti intestini pars *x* de more constrati deprehenduntur. Trunci itaque *a*, *a*, omnium longissimi, super pallii membranam secus abdominis latera, et juxta cor decurrentes, jecur attingunt, illudque subeunt omnino indivisi; at ex eo emersi, et in musculum adductorem inferum intrusi, utrinque in geminas propagines *p*, *p*, *v*, *v* in primis dividuntur, quae deinceps in plurimos surculos minores illico secedentes, super pallium reptant circa oris viciniam. Qui proxime sequuntur *b*, *b*, aeque ac illi, pallii membranam petunt inter branchias, et abdomen. *c*, *c* in eorum ortu aliquatenus sinuosi, ac dilatati, oram superiorem legunt venarum branchialium usque ad apices. Trunci *ff* valde conspicui cunctas pallii partes speciali ratione adire videntur; siquidem trunci ipsi *f*, *f* musculi orbicularis oram, quâ late patet, circumducunt; multiplicesque sui propagines *d*, *d*, *e*, *e*, *g*, *g*, *h*, *h*, *i*, *i* et limbo ipsi, et membranae pallii late prospiciunt: quod pallium adeunt pariter quae reliquae sunt *k*, *k*, *z*, *z*, recto intestino contiguae. Trunci *r*, *r* (Fig. 3) adeunt recta arterias branchiales *e b*, *s d*, quas libere permeat hydrargyrum in cisterna injectum. *Fig. 1. Fig. 3.*

Universum hujusmodi vasorum systema lente vitrea acuta luculenter conspici potest; at eorum nonnulla etiam nudis oculis rimari queunt. In ipsis declarandis paullo prolixiores, quam solemus, esse maluimus, quia nonnullas illorum propagines, quae visui nostro feliciter se conspiciendas obtulere, in similibus tentaminibus super aliis Molluscis, quae fortasse iis non destituuntur, numquam observare datum est.

ARCA BARBATA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1140.

Ital. *Arca barbata.* Neapol. *Moschiglione.* Gall. *Amande à cils.* Germ. Die Bart-Arche.
Belg. *Arche-Noachs Soort.* Angl. *The fringed Arca.*

Bonann. *Recreat.* Class. II, Fig 79.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. XCI, Fig. F.
Argenville *Conch.* Tab. XXII, Fig. M.
Pennant. *Brit. Zool.* Tab. LVIII, Fig. 59.

T. XXV. Fig. 6, 7. *Testae characteres*. Testa ovato-oblonga, striis confertis, exilibus, granulosis, barbatis, in longum distincta; umbonibus fere contiguis, area angusta, carinata, apicibus inflexis, margine integro.

Testae descriptio. Concha ovata in transversum producta, tumidiuscula, inaequilatera. Latus posticum brevius, rotundatum; anticum exertum, infra carinatum. Valvae tenues subpellucidae striis tenuibus in transversum distinguuntur, quae ex granulis minimis, monilis instar seriatim junctis, componi videntur. Striae istae setis hispidis nigricantibus horrent, quae ad latera, et secus conchae ambitum confertiores, procerioresque evadunt: Microscopio inspectae ramosae esse conspiciuntur. Conchae discus, atque umbones ut plurimum depilati. Umbones hujusmodi modice tumescentes desinunt in apices breves ferme contiguos. Area iis comprehensa est satis angusta, fere linearis, modiceque excavata, atque carinata. Margo integer perraro hiare invenitur. Tota concha colore ex rufo fucescente utrinque illinitur.

Fig. 6. Geminam dedimus conchae hujus imaginem in Tab. XXV, ubi Fig. 6 illam
Fig. 7. exprimit e latere objectam, pedunculo exerto; Fig. vero 7 e parte dorsi. Duplo majorem magnitudinem interdum attingit.

Historia. Arca Barbata eadem prorsus colit loca ac Arca Noae; et frequentissime in saxorum submarinorum anfractibus intrusa, pedunculoque suo inibi adfixa invenitur. Eidem quoque Animanti tegumento est, qui torosior esse videtur, coloribusque saturatioribus varius.

ARCA INTERRVPTA.

Ital. *Arca interrotta*.

Fig. 4, 5. *Testae characteres*. Testa subovata, glabra, transversim oblique striata; postice prope areolam profundo sinu distincta; apicibus inflexis, margine laevi.

Testae descriptio. Testa minima fere ovata, modice ventricosa, laevis, nitidaque. Valvae, quae nullo epidermate obducuntur, striis exilibus, arcuatis, oblique decurrentibus in transversum exarantur. Latus posticum altero brevius, atque tenuius, prope areolae regionem sulco profundo insigni, costaque subtereti illi adjecta, speciali ratione distinguitur, itaut concha ibidem veluti interrupta videatur. Area, areolaque amplae, subovatae: apices minimi, contra se invicem inflexi. Margo integerrimus. Tota concha tam intus, quam extra lacteo candore refulget.

Fig. 4, 5. Fig. 4, et 5 Tab. XXV conchae hujus imaginem reddunt; illa e latere, haec e parte dorsi oculis objectam, atque insigniter amplificatam.

Historia. Concham hanc hactenus ignotam inanem invenimus inter alias plurimas aeque exiguas, quae cum arena litoris Melphictensis secus oram Maris Adriatici erant commixtae.

ARCA MODIOLVS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1141.

Ital. *Arca Minuta*.

Testae characteres. Testa ovata, ventricosa, antice attenuata, atque angulata; striis in longum distincta; apicibus proximis inflexis, margine laevi. *T. XXV. Fig. 20, 21.*

Testae descriptio. Testa ovata, inaequilatera, tumida, exigua, parvo hiatu secus marginem superiorem distincta, quemadmodum in Arca Noae. Latus posticum breve, rotundatum; anticum magis productum, atque tenuius, inferne modice deprimitur, angulumque refert. Valvae crassiusculae striis confertis in longum exarantur, quae annotinis accessionibus in transversum sectae cernuntur. Umbones tumescentes: apices breves proximique se se mutuo respiciunt. Area interjecta angusta, atque elliptica. Tota concha albida epidermate obducitur foliaceo, compacto, subfulvo, quod saepe detritum invenitur. Margo integer.

Fig. 20, et 21 Tab. XXV concham istam repraesentant. *a* est stipes coriaceus, Animantis abdomini adnatus, sicuti de Arca Noae, aliisque supra dictum est. *Fig. 20, 21.*

Historia. Concha haec in iisdem locis gignitur ac Arca Noae, atque Barbata; rarius tamen occurrit. Molluscum, quod in ipsa hospitatur, a Daphne Fusca, quam Arca Noae conclusam esse demonstravimus, nullo pacto differre visum est.

** Apicibus inflexis, margine crenato.

ARCA TETRAGONA.

Ital. *Arca Quadrangolare*.

Testae characteres. Concha navicularis, rhomboides, antice depressa, anguloque elato, atque carinato utrinque distincta; striis in longum, apicibusque minimis inflexis, remotissimis referta; margine denticulato hiante. *Fig. 12, 13.*

Testae descriptio. Concha cymbiformis, rhomboides, transversim oblongata, ab umbone ad umbonem adeo tumida, ut spatium inter illos comprehensum conchae basim propemodum aequare videatur. Valvae tenues striis exilibus confertis in longum exarantur, quas annotinae accessiones ut plurimum transversim secant. Latus posticum breve, rotundatum; anticum porrectum, ac fere rectilineum, penes conchae basim insigniter depressum conspicitur; at in illius medio

in angulum attollitur maxime carinatum, qui ab apicibus ad testae marginem anticum veluti per diagonalem exporrigitur; unde hoc latus conchae tetragonam pene formam adipiscitur. Testae area ad basim fere rhomboides est, atque explanata; at inter apices exiguos, perbreves, ac inter se remotissimos, plaga fusca intercedit formam rhomboidem perfecte referens, rhombisque plurimis seriatim inscriptis penitus completa. Margo superior in sui medio hiatu patulo praeditus est, per quem Mollusci pedunculus exeritur, quemadmodum de Arca Noae dictum est. Cardinis denticuli, qui secus rectilineam conchae basim decurrunt, sunt maxime inaequales; antici namque, atque postici satis magni sunt, medii vero exilissimi. Margo tenuissime denticulatus. Tota concha epidermate veluti foliaceo instructa, praesertim secus ambitum, luteo colore offunditur: cavitas albescens maculis fuscis ut plurimum distinguitur.

Concha haec Arcae Noae quammaxime adsimilatur: differt tamen insigniter, tum ob angulum carinatum in latere antico, tum ob marginem denticulatum. Raro autem occurrit, et nonnisi inter aliorum Testaceorum acervos intrusa, pedunculoque suo adligata. Quantum ex Animante fere exsiccato colligere potuimus, eidem Mollusco ac Arca Noae tegumento esse existimamus.

ARCA PILOSA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1143.

Ital. *Arca pelosa*. Neapol. *Palorda*. Gall. *Noix de mer*. Germ. *Die Sammetmuschel*.
Belg. *See Noot*. Angl. *Cockle with beary streaks*.

Bonann. *Recr.* Class. II, Fig. 80.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXIII, Fig. A.

Tabula XXVI. Fig. 2, 3.

Testae characteres. Testa subrotunda, subaequilatera, transversim tenuissime striata; epidermate villoso, rigido, nigricante tecta; apicibus inflexis, margine insigniter crenato.

Testae descriptio. Concha prope orbicularis, ventricosa, latere postico paullo contractiore, magisque rotundato. Valvae spissae, ac ponderosae striis tenuibus confertissimis in transversum exarantur. Eas porro obducit peculiare epidermatis genus, quod villis erectis, longiusculis, rigidulis componitur simul stipatis, adeout eam serici villosi speciem quodammodo mentiatur, quae vulgo apud nos *Velluto* denominari solet. Hoc ad umbones plerumque abrasum invenitur. Umbones tumidi, apices brevissimi contra se invicem inflexi. Margo crenatus denticulos habet distinctos, sulcoque tenui abbreviato inter binos quosque divisos. Tota concha, epidermate abraso, colorem reddit saturum rufum: intus albescit;

at macula fusca, vel subrufa inficitur in latere antico, qua ut plurimum maxima cavitatis hujus pars foedata invenitur [1].

Concha, de qua sermo est, haud raro talis comperitur, ut epidermate abraso, maculis fulvis, vel rufis, simulque albescentibus, venuste variegata adpareat. Quare ipsam pro specie peculiari accepit praestantissimus Born, qui fortasse unicum tantum specimen vidit epidermate denudatum, eamque *Arcam Scriptam* denominavit [2]. Nos vero, quibus ingentem earum numerum conquirere, easque cum Arca Pilosa, unico tantum colore infecta, comparare datum est, nonnisi ejusdem varietatem esse confidenter existimamus.

Fig. 2 Tab. XXVI Arcam Pilosam exhibet, e cujus cavitate pes *aa* Animantis sui exertus conspicitur. Eadem in Fig. 3 valvis aliquatenus diductis ostenditur, ut cardo clare innotescat. Demum Fig. 4 valvam alteram repraesentat, ad ejus cavitatem, atque cardinem penitius dignoscendum. Qui varietatem ex albo rufoque nebulosam conspicere cupit, adeat Fig. 19 Tab. XXV. *Tabula XXVI. Fig. 2, 3. Fig. 4. T. XXV. Fig. 19.*

Quamvis epiderma, quo concham istam indutam esse diximus, pilorum congeriem oculis ostendat, Microscopio tamen inspectum, pannum veluti refert conchae adhaerentem, e quo lamellae pyramidales tenues, atque cuspidatae, pilorum instar, sursum exeruntur. Alteram tantum earum seriem e conchae margine productam, et Microscopio adauctam, in conchae frustis A, et B, in Fig. 5, et 6, inter *aa*, *bb*, intueri juvabit. *Tabula XXVI. Fig. 5. Fig. 6.*

Historia. Arca Pilosa arenosa colit maris loca. Apud nos plagam prae ceteris diligit, quae contra Pausilypi Promontorium posita, mille prope passus ab illo distat. Alte sub arena reconditur, cui mare ad quinos ferme passus incumbit. Cum Mactra Neapolitana frequenter consociata deprehenditur, et nonnisi rastro, reticuloque (vulgo *Rullo*) capi solet. Ejus spissitudo, atque pondus maxime insignes sunt. Quaedam adeo adolescunt, ut earum diameter quinos ferme digitos aequet, pondus vero libram unam. In his epiderma, de quo supra dictum est, fere omnino deesse videtur, ob Mollusci longaevitatem fortasse detritum, atque labefactatum. Conchis hujusmodi communiter utuntur Sculptores, praesertim Siculi, ad gemmas coelatas (vulgo *Cammei*) efficiendas. Color varius, quem successivae conchae accretiones in valvarum spissitudine gerunt, eas reddit gemmis istis elaborandis opportunissimas; quae gemmae interdum et operis elegantia, et objectorum, quae insculpta gerunt, praestantia, magno in pretio haberi solent.

---

(1) Quae sit maculae hujus origo, in Mollusci Anatome, quam infra subjungemus, opportune declarabimus.

(2) *De Testac. Mus. Vindob.* pag. 93.

Copiosae carnes concha ista circumclusae crassum nutrimentum efficiunt, mensasque exquisitas non adeunt: plebi tantummodo gratam escam suppeditant.

Tabula XXVI. Fig. 7. *Mollusci characteres.* Axinaea (Polyderma) omnino alba, vel flavicans, pallii limbo maculis fuscis, fulvisque notato, pede amplo securiformi. Inspice Fig. 7 Tab. XXVI.

Polydermatem cognominavimus ac si multis valvis obsitam diceremus; siquidem Arca Pilosa, Glycimeride, Bimaculata, aliisque hujus generis promiscue obtectam esse deprehendimus.

MOLLVSCI ANATOME.

Quo Axinaeae Polydermatis naturalis forma, atque exterior partium compages manifeste paterent, ipsam supinam, atque e concha sua mordicus exemtam re-
Fig. 7. praesentavimus in Fig. 7 Tab. XXVI. A B C D est pallium expansum: E, *n* branchiarum lobi: F abdomen cum pede G sibi continuo, atque bisulco. *c* exprimit os labiis quaternis *b*, *b* insignitum; *x*, *yz* musculos valvarum adductores, quorum postremo rectum intestinum *s* superincumbit.

Pallium, tracheis, atque cirris omnino destitutum, universam de more obvestit conchae cavitatem, quo fit ut ab ea caute divulsum bicorne adpareat ob ge-
Fig. 8. minos veluti sacculos testae fornicibus subsutos, quorum alterum ad E in Fig. 8 cernere est. Musculus orbicularis A B C conchae margini adnatus, et dentium cardinalium, et margini illius dentati foveolas in se impressas retinet, sicuti Figura ostendit. Insuper totum Animal duplici musculo *f*, *g* valvis adligatur, qui hisce comprimendis simul inservit.

Pallii limbus geminus, atque laevis, intrinsecus maculis flavescentibus guttatim veluti conspersis, extrinsecus vero punctis fuscis plurimis, nullo ordine, praesertim anteriora versus, depictus adparet. Animante adhuc vivo frequentissime extra concham se se exerit, ac sursum veluti extollitur.

Inter duplicem pallii membranam ingens sanguinei humoris copia coërcetur, quae veluti sacculo in singulis pallii lobis inclusa adparet. Quae conchae pars sacculis iis respondet, colore saturo purpureo infecta cernitur. Humor iste, cujus naturam, et qualitates Capite IV Partis II *Introductionis*, pag. 45, fuse declaravimus, in cunctas Animantis partes, ac praesertim inter abdominis, pedisque tegumenta, ad libitum ipsius Mollusci longe lateque diffunditur; mox in sacculos suos recipitur. Quo fit, ut illud modo sanguine instrisum, modo pallescens, mirando prorsus spectaculo, videatur. Sunt quaedam tamen anni tempestates,

in quibus omnino deficere deprehenditur, quemadmodum nobis mense Februario ineunte accidisse testamur.

Branchiae E, *n* amplae, subellipticae, utrinque acuminatae, rigidiusculae, fulvae, membranae validae, tendinosae, niveo candore conspicuae, limbo suo interiori adnascuntur. Antici earum apices *a*, *n* penitus soluti, atque liberi. *Tabula XXVI. Fig. 7.*

Haud facile concipi potest, quam debilis et fragilis sit hujusmodi branchiarum contextus; aegre namque fieri potest, quin valvas a se invicem vi diducendo, branchiae labefactentur, suique filamenta funditus solvantur, et confundantur. Filamenta rigida, asbesti fibras adamussim mentiuntur fulvo colore offusas.

Abdomen F satis amplum, atque tumescens, desinit in pedem G latum, compressum, semilunatum, sive ut proprius loquamur, securiformem, limbo exteriori *e e* bisulco. Fissura ista ab uno pedis apice ad alterum protenditur, sulcumque refert carinatum, leviterque profundum, cujus limbi rugas plerumque praeseferunt, sicuti Fig. 2 ostendit ad *a a*. *Fig. 7.* *Fig. 2.*

Imo abdomini subest os *c*, labiis *b*, *b*, quae branchiis concolora sunt, de more instructum. Sunt ipsa tenuia, linearia, latiuscula si explicentur, at plerumque involuta, satis longa, et versus imos branchiarum apices ad testae fornices protensa. *Fig. 7.*

Quo ventriculi, intestinorum, aliarumque partium in abdomine delitescentium situs, atque nexus manifeste paterent, pallii lobo altero A B C in primis discisso, branchiisque amputatis, abdominis musculos, alterum sui latus obtegentes, mordicus divulsimus. Hinc ventriculus *a*, atque intestinorum tractus *b c d*, flexibus suis omnino intemeratis, adparent. Rectum *d p* ex abdomine evadens ad *d*, petit dorsum Animantis; cordisque *e* cavitatem praetergressum, desinit ad *p* inter pallii lobos, musculo adductori constratum. Inibi duplici ligamento *r*, *r* (Fig. 7) musculi illius tegumento valide adligatur. Ventriculum in longitudinem discissum, ad S T in Fig. 9 conspicere juvat: *r* exhibet pylorum ducentem ad intestinum *m*; *n* vero cardiam gulae *o* continuum, cui os *x*, labiaque amputata *z*, *z* adnexa reliquimus. Per ostiola *i*, *i*, *t*, *t*, *t*, bilis ab hepate profluens manat in ventriculum. *Fig. 8.* *Fig. 7.* *Fig. 9.*

Ventriculum, atque intestinorum partem complectitur hepar *s s*, plurimis folliculorum acervis, bile completis, uti solet, compactum. Exiguam illorum congeriem tum naturalis magnitudinis *x x*, tum Microscopio adauctam *y y*, in Fig. 10 delineavimus. Quae inter hujusmodi viscera spatia intercedunt, longe lateque subeunt ovarii propagines gestationis tempore, a quibus viscera ipsa simul obvolvuntur. *Fig. 8.* *Fig. 10.*

Musculi funiculares validissimi *i i i* cunctas abdominis partes de more perstringunt. Ceteri musculi abdominales, perinde ac pedis, quorum partes aliquas ad *Fig. 8.*

h h h amputatas conspicies, iis adsimilantur, quos in ceteris Molluscis hujus Ordinis obtinere demonstravimus. De ingenti vi musculosa hujus Animantis consulatur Caput VII Partis II *Introductionis*, pag. 61.

Tabula XXVI. Fig. 7. Inter basim abdominis, et interiorem branchiarum limbum intercedit utrinque viscus nigricans *d* trigonum, sive sagittatum, apice acuminato, sub membrana tendinea, cui branchias adnasci supra dictum est, omnino reconditum. Per istam ea ratione translucere conspicitur, si lente uteris, ac si punctis atris plurimis, maxime globulosis, atque inaequalibus constaret. In aliis Molluscis hujusmodi viscus carnei coloris filamentosa compage gaudere observavimus, quemadmodum de Hypogaea Variegata suo loco monuimus (1).

His exactis, thoracis descriptionem adgrediamur. Ipsum dissectum inter *n n* *Fig. 8.* in Fig. 8 cernere est. At quo ejus fabrica, et quae in ipso continentur luculentius paterent, ejus tegumentis, branchiis, et pericardio mordicus amputatis, illud late *Fig 13.* patens repraesentavimus in Fig. 13; cor vero cum auriculis longe adauctum in *Fig. 14.* Fig. 14. Est cor validissimum, uniloculare, plurimis lacertis musculosis, multifariam ad invicem implexis, intrinsecus refertum, quos in eo dissecto ad *c*, *c*, *c*, conspicere est. Horum aliqui ad auricularum ostia *e*, *e* hinc inde dispositi, valvularum munus absolvunt. Ejus cavitatem pertransit de more rectum intestinum, cujus tractum in medio corde amputatum, ad *m*, *m* cernere licet. Partes has in utriusque arteriae initio *a*, *a*, veluti in vagina inclusas eadem Figura demonstrat. *Fig. 13.* Arteriae istae, quas in Fig. 13 conspiciendas proponimus, super dorsum Animantis in primis excurrunt; at *p*, sive ascendens, ex intestino recedens, et in surculos varios abiens, musculum adductorem superum *b b*, et quasdam pallii, ac thoracis partes petit; *z* vero, sive descendens, longe crassior, atque procerior, in propagines multas dispertitur; ac primum in hepar, deinceps arcu facto in abdomen intrusa, cunctis illius partibus, quâ late patent, surculos suos distribuit.

Auriculae porro *x*, *x* singularis formae, et magnitudine praestantes, ubi *Fig. 13.* ostiolis suis *s*, *s* prodeunt e corde *a*, sursum pergunt sensim dilatatae, et ad *p* coalescunt, simul communicantes; deorsum vero gradatim coarctatae abeunt in venas branchiales *r*, *r*, quae sursum secus branchiarum longitudinem *rt*, *rt* prolatae, perinde ac arteriae comites ab aorta derivatae, propagines pectinatas *m m*, *n n* largiuntur singulis branchiarum lobis, sicuti de ceteris dictum est. Summae vero auriculae in venas abeunt *o*, *o*, quae surculis suis proximas primum Mollusci partes, deinceps remotiores irrorant.

---

(1) In ejus Anatome, pag. 25 Ordinis I.

Corde, auriculisque contractis, luculentius autem iis avulsis, in conspectum venit viscus testaceum *yiiy*, thoracis basi, quâ late patet, constratum. Ejus limbo auricularum radices utrinque adnascuntur. Fibrosa illius compages, concretionibus innumeris lapideis, subrotundis, albescentibus, inaequalibus, confertissimis usquequaque infarta invenitur. Earum formam, et magnitudinem ad *r* delineavimus in Fig. 12. Ipsaemet Microscopio adauctae multiformes evadunt, quemadmodum ad *s*, *s*, *s*, etc. in eadem Fig. 12 cernere juvat. Visceris hujus fabricam, prout Microscopio ipsam contemplantibus adparet, seorsim exhibuimus in Fig. 11; ubi *aa*,*y* sunt gemini musculi valvarum adductores; *z* cor auriculis amputatis; *ssss* denique est totum viscus testaceum, fibrillis veluti carneis, vasculisque plurimis multipliciter simul intextis compactum, spongiam veluti referens, cujus foveolae, sive potius anfractus, concretionibus modo commemoratis infarciuntur, quemadmodum ad *x*, *x* (quas plagas consulto inviolatas servavimus), conspicere quisque potest. De visceris hujus natura Capite IV Partis I *Introductionis*, pag. 18, abunde disputavimus. *Tabula XXVI. Fig. 13.* *Fig. 12.* *Fig. 11.*

Vasorum lacteorum systema, una cum cisterna lactea, quo illa simul influunt, a reliquis, quae toties commemoravimus, non differt; itemque confluunt ipsa super musculum valvarum adductorem, ut in ceteris moris est.

ARCA BIMACVLATA.

Ital. *Arca con due macchie.*

Testae characteres. Concha lentiformis regularis, in longum obsolete striata; epidermate compacto sericeoque obducta; maculis binis niveis ad apices notata; margine dentato. *T. XXV. Fig. 17, 18.*

Testae descriptio. Concha perfecte lentiformis, ventricosa, aequilatera. Valvae crassae striis, ut ita dicam, subcutaneis in longum, annotinis autem accessionibus in transversum insigniuntur; quas undique obducit epiderma tenue, depressum, compactum, nitidum, serici rasilis, quod *Raso* italice est, omnino aemulum. Umbones exigui, apicesque minimi contra se mutuo inflexi, proximique, macula nivea subrotunda decorantur. Margo eleganter dentatus. Tota concha, epidermate cinereo abraso, colorem refert saturum rufum, vel subviolaceum: intrinsecus alba, maculis sanguineis sparsis, saepe ad latus anticum, foedata invenitur.

Historia. Arca haec Pilosae, quam supra declaravimus, adfinis est; illi consociata vivit, eidemque Animanti tegumentum praebet. Equidem ad eamdem magnitudinem haud infrequenter excrescit, ita ut quaternos digitos lata sit, gemmisque supra commemoratis conficiendis aptissima.

ARCA GLYCIMERIS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1143.

Ital. *Arca Glicimeride*. Neapol. *Palorda*.

Lister *Conch.* Tab. CCXL, Fig. 77.

Tabula XXVI. Fig. 1. *Testae characteres*. Concha ovato-rotundata, in longum transversimque obsolete striata; epidermate sericeo depresso, nitidoque induta; apicibus inflexis, margine dentato.

Testae descriptio. Concha transversim oblique subovata, ventricosa, subaequilatera. Latus posticum vix altero brevius, magisque rotundatum: utrumque hinc inde exertum concham reddit prope ovatam. Valvae crassiusculae lineis veluti subcutaneis in longum, striisque transversis prope obsoletis refertae conspiciuntur. Induit ipsas epiderma tenue, compactum, depressum, sericeoque nitore conspicuum, coloris fusci. Umbones tumidiusculi in apices desinunt aliquanto coarctatos, atque elegantes, qui se se mutuo respiciunt. Margo venuste dentatus. Tota concha extrinsecus, epidermate abraso, cinereum, vel sublividum colorem reddit; intus albida est, maculaque fusca ut plurimum notata ad latus anticum.

Testa haec cum duabus praecedentibus maximam adfinitatem habet, unde facile suspicari possit cunctas ad Arcam Pilosam referendas esse. Injuria profecto. Nos igitur ad eas probe distinguendas sequentes notas essentiales confidenter proponimus. Arca Pilosa ad formam lenticularem accedit, latere antico paullo productiore, atque irregulariter in orbem sinuato. Praeterea epidermate induitur *pilis rigidis, erectis, serici instar villosi* compacto. Arca Bimaculata est perfecte lenticularis; *macula nivea in singulis apicibus* insignitur, ac epiderma gerit *depressum, glabrum, nitidumque instar serici rasilis*. Arca demum Glycimeris, quamvis epidermate gaudeat ejusdem naturae ac Arca Bimaculata (unde *penitus* differt ab Arca Pilosa), forma tamen insigniter discriminatur, quippe ejus latera hinc inde divaricata ipsam reddunt ferme *subovatam:* cui accedit macularum defectus ad apices, colorque valvarum cinereus. Qui plura specimina ante oculos habebit, eaque impigre inter se conferre maluerit ad relatos characteres distinguendos, specificam earum differentiam nullo negotio cognoscet.

Historia. Quamvis Arcam Glycimeridem a Pilosa, atque Bimaculata specifice differre dixerimus, eam tamen, perinde ac illas, eumdem Animantem complecti profitemur. Omnes in iisdem locis promiscue vivunt; at Glycimeris reliquarum magnitudinem, de qua supra dictum est, numquam attingit.

*** Apicibus reflexis, margine integro.

ARCA SCABRA.

Ital. *Arca Zigrinata*.

Testae characteres. Testa ovato-oblonga, compressiuscula, antice angulata, striis transversis decussatis, confertisque; apicibus proximis, reflexis; area lineari; margine integro. *T.XXV. Fig. 22.*

Testae descriptio. Testa ovata, transversim oblongata, inaequilatera, compressiuscula, minima. Latus anticum amplum, inferne compressum, atque in angulum elatum; posticum perbreve, attenuatum, desinensque prope in mucronem. Valvae aequales striis transversis confertis exarantur, quarum singulae in longum incisae, punctis oblongis elevatis obsitae adparent, totusque discus squatinae cutem aemulatur. Latus anticum muricatum. Umbones tumidi, apices breves proximique, versus latus posticum modice inflectuntur. Area interjecta linearis, recta, angusta, in cuspidem ferme desinit antice. Epiderma foliaceum, haud secus ac in Arca Noae, marginem decorat. Hiatus exiguus in margine integro pro stipitis coriacei extrusione. Color testae rufus, cavitatis albescens.

Forma hujus conchae eadem sane est, ac Arcae Imbricatae, a qua tamen insigniter differt ob supra relatas valvarum adfectiones, praesertim ob strias incisas, marginemque laevem.

**** Apicibus reflexis, margine crenato.

ARCA IMBRICATA. = pulchella Reeve

Ital. *Arca a tettoja*.

Testae characteres. Testa ovato-oblonga, antice angulata; squamis imbricatis per series transversas distincta; apicibus proximis reflexis; margine crenulato. *Fig. 10, 11.*

Testae descriptio. Concha exigua in transversum elongata, ac prope ovata, ventricosa. Latus posticum perbreve, attenuatum, atque rotundatum; anticum porrectum, atque latius, versus inferiora aliquanto deprimitur, donec secus conchae basim abeat in angulum satis tenuem. Valvae aequales squamis gibbis, confertis, concatenatis, elegantibus, per series transversas digestis, ac ultra conchae marginem prominentibus, undique decorantur. Umbones elati; apices exigui, in proximo positi, posteriora versus recurvantur. Area interjecta elliptica est, atque angusta. Margo crenulatus. Tota concha colore gaudet flavicante; intus albescit.

T.XXV. Variat ob latus anticum insigniter attenuatum, abiensque fere in mucronem. Fig.10,11. Concham hanc maxime amplificatam expressimus in Fig. 10, et 11 Tab. XXV, quarum illa e latere oculis objicitur, haec a parte dorsi.

Historia. Aeque ac Arca Noae, atque Barbata, inter Testaceorum congeries, vel in scopulorum anfractibus, pedunculo suo adligatur, qui per tenuem conchae hiatum ab Animantis corpore producitur. Animal hoc, quantum ex eorum aliquot exsiccatis conjectari licuit, Mollusco Arcae Noae, atque Barbatae penitus simile visum est.

ARCA ANTIQVATA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1141.

Ital. *Arca tumida*. Gall. *Coeur en Arche de Noë*. Germ. Die Baſtartarche.

Belg. *Basterd-Ark*. Angl. *Virgin Ark*.

Bonann. *Recr.* Class. II, Fig. 73.

Rumph. *Thes. Amb.* Tab. XLIV, Fig. I.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXXVII, Fig. B.

Adans. *Coquill. du Sénég.* Tab. XVIII, Fig. 7.

Fig.14,15. *Testae characteres*. Testa ovata-cordiformis, valde ventricosa, in longum sulcata, transversimque striata; umbonibus maximis, elatis, apicibus remotis; area elliptica, margine dentato.

Testae descriptio. Concha oblique cordiformis, ac veluti ovata, insigniter tumescit; adeo ut contra marginem superiorem inspecta, prope orbicularis adpareat. Latus utrumque rotundatum; posticum brevius. Valvae crassae, atque ponderosae, radiis depressis, sulcisque in longum, transversim vero striis exilibus, annotinisque accessionibus exarantur, adeo ut tota concha reticulata esse videatur. Umbones amplissimi, ac tumescentes, in apices desinunt elatos, et crassitudine praestantes; qui insigniter a se invicem remoti, interpositam areae regionem late superscandunt, et versus posteriora paullulum inflectuntur. Area elliptica insigniter oblongata, ac prope cuspidata, leviter concava est, striisque rhomboidalibus, altera in altera gradatim inscriptis, decoratur. Valvae interius fornicatae marginem gerunt oblique dentatum. Tota concha albida ferrugineis, fuscisque maculis turpiter sordescit. Praeterea epidermate maculis concolore adeo arcte obducitur, ut nonnisi aegre abradi possit. Intus concha ex albo viridescit.

Historia. Concham hanc nonnisi alto in pelago inveniri cognovimus; et nonnisi fortuito piscatorum retibus implexa capitur, plerumque inanis. Idcirco neque facilis inventu, neque inter epulas usitata. Quamobrem Animantem, quem tegit, numquam inspicere datum est.

ARCA ARGENTEA.

Ital. *Arca Argentina*.

Testae characteres. Testa oblique cordiformis, transversim substriata, margine crenulato, intus margaritacea. *T. XXV. Fig.* 8, 9.

Testae descriptio. Testa cordiformis, inaequilatera, tumidiuscula, exigua. Latus anticum porrectum, modiceque attenuatum; posticum brevius, atque rotundatum. Valvae crassiusculae, atque omnino clausae, strias transversas gerunt vix nudo oculo conspicuas. Umbones in apices desinunt tenues, acutos, retrorsum reflexos, fermeque contiguos. Margo eleganter crenulatus. Cardo generis. Tota concha extrinsecus albescit, epidermate fusco exilissimo obducta: intus argenteo nitore undique refulget.

Concham istam modice adauctam delineavimus in Fig. 8 Tab. XXV. Fig. 9 ejusdem cavitatem repraesentat, ut cardinis dentes patefierent. *Fig.* 8, 9.

Satis infrequenter occurrit inter Testaceorum acervos, sicuti de ceteris supra dictum est. Animantem, quem tegit, numquam explorare datum est.

GENUS XI.

OSTREA.

Ital. *Ostrica*. Neapol. *Ostreca*. Venet. *Ostrega*. Gall. *Huitre*. Germ. Die Auster. Belg. *Oester*. Angl. *Oyster*. Dan. *Ostersen*.

Generis characteres. Testa bivalvis, inaequivalvis, subaurita. Cardo edentulus fossula cava ovata, striisque lateralibus.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1144.

Generis descriptio. Ostrearum nomen tum graece, tum latine, pro universa Testaceorum progenie usurpatum fuisse ex plurium Scriptorum testimonio colligimus: peculiariter autem pro singulari concharum genere adhibitum esse certum est. Nos Linnaei vestigia prosequentes, in Ostreae Genere conchas illas bivalves complectemur, quarum cardo dentibus omnino destitutus scrobem habet, cui ligamentum teres, seu funiculare, adnascitur [1]; striisque transversis ad scrobis latera insignitur. Item area, atque areola gaudent nulla. Equidem hujusmodi cardinis adfectiones Genus, de quo agimus, late admodum patere sinunt, conchasque plures simul consociant forma, habituque diversas, itaut tum Ostreae rudes proprie dictae, tum Pectines ad Ostreae Genus referantur. *Pectines* ii sunt,

(1) De hoc ligamento conferatur Caput V Part. I *Introductionis*, pag. 20.

quorum valvae subrotundae, ad cardinem plerumque rectum, auriculisque veluti instructum, coarctatae, sulcis patulis in longum, vel radiis gaudent ut plurimum striatis, colorumque varietate decoris. Ex adverso *Ostreae rudes* dicuntur illae, quae auriculis, sulcis (1), radiisque destitutae, sed valvis lamellosis, vel glabris praeditae, intrinsecus margaritaceis, vel argenteo nitore coruscantibus, varias accipiunt formas irregulares, ac rudes, puta distortas, oblongatas, crispatas, falcatas, vel ad mallei modum inflexas. Ad hoc, earum valvae nulla superbiunt colorum venustate, atque elegantia, sed prope unicolores sunt, spectatuque tristes.

Ingens profecto est utrarumque numerus quâ pelagus longe lateque orbem circumfluit. Sunt quaedam earum species, quae ob sui inopiam, pretiique immanitatem, maximum faciunt Museorum ornamentum. In pelago, vel in lacubus, quibus mare illabitur, vivere consuescunt. Pleraeque scopulis, saxis solutis, navium carinis, aut suberibus in aqua fluctuantibus, vel valvis suis, vel byssino capillitio, ex Animantis corpore derivato, arcte adnascuntur: quaedam luto obrutae vivunt. Omnes prope sunt grati saporis, Sepiaeque Octopodiae deliciae.

Mollusca iis comprehensa, quantum ex nostris observationibus discere potuimus, ad tria Genera referri debent, quae sunt *Argus*, *Peloris*, atque *Glaucus*. Argi characteres essentiales tum Capite II Part. II *Introductionis*, pag. 32, tum in articulo Spondyli, pag. 102., plane tradidimus. Qui ad Peloridem, Glaucumque spectant, hac ratione definiendos esse statuimus.

PELORIS. *Trachea nulla.*
Abdomen haud prominens: pes nullus.
Branchiae limbo interiori conjunctae, patentes.
Limbus pallii in branchiarum apicibus leviter connexus.
Musculus adductor unicus, centralis.

Tabula XXIX. Fig. 2.
Inspice Fig. 2 Tabulae XXIX.

Pro nominis derivatione consulatur Caput II Part. II *Introductionis*, pag. 33.

GLAVCVS. *Trachea abdominalis.*
Abdomen ovato-compressum: pes nullus.
Branchiae divisae, patentes.
Pallii membrana musculis ramosis destituta.
Pallii limbus multicirratus sine ocellis.
Musculus adductor amplus, centralis.

Tabula XXVIII Fig. 20, 24.
Inspice Fig. 20, et 24 Tabulae XXVIII.

---

(1) Plicae, atque sulci, si quos ullae praeseferunt, sunt etiam inconcinni, ac rudes.

Glauci fabula, qui mari demersus diu vivere potuisse creditur, *Glauci* denominationem novo huic Molluscorum Generi addicendam esse persuasit.

Equidem Genus hoc est Argo maxime adfine. Differentia essentialis in eo consistit, quod Glaucus et musculis ramosis in membrana pallii, et ocellis smaragdinis in sui limbo omnino destituitur [1].

Varias Ostrearum species, quibus utriusque Siciliae pelagus abundat, una cum Molluscis, quae operiunt, more nostro indicare, atque illustrare adgrediemur. Quod ut rite instituamus, illas universas in quinque sectiones dispertiemur; scilicet

I. In Pectines aequilateros auriculis subaequalibus.

II. In Pectines aequilateros auricula altera excisa.

III. In Pectines altero latere gibbosiores auriculis brevibus.

IV. In Pectines inauritos.

V. In Ostreas rudes.

* Pectines aequilateri auriculis subaequalibus.

OSTREA JACOBAEA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1144.

Ital. *Ostrica di San Giacomo*. Neapol. *Cozza di San Giacomo*. Venet. *Capa Santa*.
Gall. *Coquille de St. Jacques*. Germ. Die Jacobs muschel. Belg. *St. Jacobs Mantel*.
Angl. *The Mediterranean Scallop: the lesser Scallop*.

Bonann. *Recr.* Class. II, Fig. 34.
Lister *Hist. Conch.* Tab. CLXV, Fig. 2.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. XCIX, Fig. A, B.
Ginann. *Op. poſt.* Part. II, Tab. XVI, Fig. 123.
Regenfuss *Collect.* Tab. VII, Fig. 3.
Pennant *Brit. Zool.* Tab. LX, Fig. 22.

Testae characteres. Testa subrotunda, inaequivalvis; fornice radiis circiter octodecim rectangulis, in longum striatis; operculo plano radiis rotundatis instructo; striis scabris, atque undulatis transversim insignita. *Tabula XXVII. Fig. 1, 2.*

---

(1) Hoc Genus Molluscorum nondum occurrerat nobis dum varia eorum Genera, eorumque characteres constituimus in Parte altera nostrae *Introductionis*, pag. 29. Quare ipsum IV Familiae *Molluscorum subsilientium*, cujus Mollusca trachea gaudent abdominali, et pede nullo, adjungere necesse est. Nos id praestabimus in Schemate generali, quod ad calcem hujus Voluminis amplissime exponemus.

Testae descriptio. Testa ampla, subrotunda, crassiuscula, ad cardinem coarctata, auriculisque aequalibus oblique striatis hinc inde instructa. Valvae pellucidae, atque inaequales. Fornix valde gibbus radiis circiter [1] octodecim latis, rectangulis, elatisque exasperatur, qui sulcis pluribus, puta quinis, vel senis, in longum praediti sunt; transversim vero strias gerunt confertas, atque undulatas. Equidem istae, concha omnino inviolata, sunt totidem lamellae testaceae tenuissimae, atque erectae, quae lente vitrea perlustratae, in sulcis latis inter radios intercedentibus, et super radios ipsos totidem dissepimenta elegantissima efficere videntur. Operculum planum aequalis ferme radiorum numerus, ac in fornice decorat: hi autem rotundati, atque glabri in conchis a sordibus detersis. Sulci patuli interjecti paribus etiam striis transversim distinguuntur. Umbones, apicesque utriusque valvae nitidissimi; et in fornice gibbi, in operculo concavi. Color fornicis niveus, operculi rufus; intus albescunt.

Tabula XXVII. Fig. 1, 2. Variat ob maculas atro-purpureas, quibus operculum venuste nimis saepenumero conspersum conspicitur, quemadmodum in Fig. 1 Tab. XXVII. Fig. 2 eamdem concham repraesentat a parte fornicis, qui nonnumquam ad umbonem maculis sanguineis, vel purpureis distinguitur.

Fig. 3. Ostrea, quam in Fig. 3 delineatam cernes, pro Jacobaea juniore accipiendam esse arbitramur, licet operculum magis concavum ad umbonem, et striae nullae in radiis fornicis. Equidem Ostrea Jacobaea sedulo perquisita usque ad certum intervallum a cardine (quod nonnisi concham jam adolescentem ostendit), iisdem prorsus adfectionibus gaudere deprehendetur.

Historia. Ostrea Jacobaea arenosum, coenosumque amat solum a litore remotum, cui operculo suo ut plurimum insidere consuescit. Interdum super cardinem erecta conspicitur, vel arena demersa. Quo fit, ut e mari primum subducta, penitus lutescat. Licet communiter occurrat in omni maris plaga arenosa, nonnisi fortuito capitur retibus implexa, quibus piscatores ad pisces capiendos maris fundum averrunt. Accidit interdum, ut rastri adminiculo, simul cum Testaceis diversi generis, una vel altera expromatur.

Molluscum, quod ipsa complectitur, valvarum praesertim motibus, eam quaquaversum convertere valet ad lubitum sui. Sunt, qui confidenter contendunt Ostreas pectines valvarum auxilio, quibus aquas marinas pernici motu jactant, atque propellunt, ad summa aequorum subsilire. Nobis etsi hujusmodi artifi-

---

(1) Radiorum numerus in Pectinibus, ob laterales confertiores, exilioresque, minus adcurate definiri potest.

cium conspicere numquam datum sit, centies vidisse testamur Ostreas pectines omnigenas extra aquam eductas, motu velocissimo valvas suas identidem reserare, atque comprimere; aëremque circumfluum quatiendo, sonitum quemdam edere. Quare credibile est hujuscemodi valvarum motibus aquae reactionem ita excitari, ut ad Testacea, de quibus sermo est, sursum propellenda idonea efficiatur: quod quidem a gravissimis quoque Scriptoribus tum Graecis, tum Latinis memoriae proditum est [1]. Eos autem fabulose nimis dixisse arbitramur Pectines non modo ad aquarum fastigium subsilire, sed etiam per summa aequorum velitare.

Sunt qui credunt Pectinum Mollusca videndi facultate gaudere, atque ad id ocellos smaragdinos inservire, qui inter pallii cirros subinde digesti conspiciuntur, de quibus infra disseremus. Nos periculis hac super re sedulo institutis, ne minimum quidem hujus opinionis indicium deteximus; quin immo jugiter observavimus, Pectines hiantes, quavis substantia, puta digitum, vel bacillum, sibi objecta, in eodem statu mansisse; tumque solummodo valvas extemplo obserasse, quum substantia illa aliquam Mollusci partem attigerit. Quod ab aliis quoque Scriptoribus praestitum esse didicimus. Quamobrem et Aristotelem [2], et Plinium [3], et quotquot ipsos sequuti sunt Auctores, Pectinum Molluscis videndi facultatem perperam tribuisse autumamus.

Pectines, perinde ac reliquae conchae, suos habent hostes, qui ipsis insidiantur. Nulli vero tam infensi, atque acerrimi, ac Sepia Octopodia, Medusâ [4], atque Asterias, qui brachiis tortilibus robustisque, quibus instruuntur, in concham hiantem per insidias intrusis, Mollusci corpus strenue revinciunt, eoque a valvis mordicus divulso, voraciter liguriunt. Non semper autem rês voto cedit; accidit enim interdum, ut Molluscum antequam strenue ab hoste corripiatur, tanta vi comprimat valvas suas, ut illius brachio mordicus amputato, insidias penitus eludat. Equidem Animantia ista insidiosam hostium naturam cognoscere, ac ut ita dicam, praesentire dicendum est. Cujus rei nos ipsi perlibenter gravissimum testimonium praebemus. Est ad Porticus Herculanenses quaedam maris

---

(1) *Praeterea sunt ex iis quae moventur, ut Pectines. Hoc namque etiam volare argumento probant, quod e nassa capti exiliant saepenumero.* Aristot. de *Hist. Animal.* lib. IV, cap. 4. Hoc idem repetit lib. IX, cap. 56. *Testaceorum*, inquit, *in genere, et pede carentium, Pecten maxime et plurimum movetur per seipsum volans*. Haud aliter scribit Plinius *Hist. Nat.* lib. XXXI, cap. 32. *Saliunt*, ait, *Pectines, et extra volitant, seque et ipsi carinant.*

(2) De *Hist. Animal.* lib. IV, cap. 8. (3) *Hist. Nat.* lib. XI, cap. 37.

(4) Eamdem (Urtica) noctu Pectines, et Echinos perquirit. Plin. *Hist. Nat.* lib. IX., cap. 45.

plaga, ubi quotannis thynnis tenduntur insidiae. Funes quaedam, quibus et retia, et cymbae adligantur, ad litus usque protenduntur. Plaga illa universa est Ostrearum, maxime *Variarum*, feracissima, quarum ova ab imo aequore advecta, funibusque praedictis adglutinata, foetus edunt mense Julio ineunte. Hi funibus ipsis adfixi, aetatem integram attingunt proximo mense Novembri, ac proinde quadrimestri circiter spatio. Mirabile dictu! In toto illo funium tractu, quo Sepia Octopodia (quae nonnisi certo intervallo a littoreis cautibus in altum advehere solet) Pectinum Mollusca adoriri posset, nulli fere inveniuntur; et si qui sunt, omnino inanes consistunt, utpote a Sepia interemti, atque exesi. Reliqui funium tractus usque ad retia, quo Sepia numquam provehitur, Pectinibus hic illic obsiti deprehenduntur penitus inviolatis. Ex quibus colligitur conchas istas admirabili naturae incitamento plagas illas evitare, ubi ab acerrimis sui hostibus certa earum clades grassaretur; item ipsas satis brevi temporis spatio ad certam magnitudinem excrescere. Idque de ceteris ejusdem Generis dictum etiam intelligatur [1].

Carnes Ostreae Jacobaeae ultra modum tenerae suavesque sunt; unde merito apud Romanos Graecosque in deliciis fuisse existimamus: qui porro varias noverant Regiones, ubi carnes illae exquisitiores affluenterque producerentur. *Pectines*, inquit Plinius [2], *maximi et nigerrimi aestate, laudatissimi Mytilenis, Tyndaride, Salonis, Altini, Antii, in insula Alexandriae in Aegypto*. Hoc idem confirmat Xenocrates apud Oribas, lib. II, cap. 58. *Pectines*, ait ipse, *optimi sunt. Omnibus autem antecellunt Mytilenaei ... His similes Jonium mare juxta Illyrida, Etruriam, Salonas, Latium, producit. Jam vero et Chios, et vicinae Insulae, itemque Alexandria hujusmodi pisces ferunt*. Quibus omnibus addit Horatius lib. II, Satyr. 4, vers. 34.

Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.

Quae de iisdem conchis retulit Athenaeus [3] et earum celebritatem, et qualitates, viresque respiciunt, de quibus hisce verbis sententiam suam expressit: *Inter Pectines teneriores sunt candidi; virus enim non resipiunt, et alvo faciles sunt: ex nigris, et flavescentibus majores et verni palatu arrident: omnes in universum ventriculo grati sunt, facile concoquuntur, alvum subducunt sumpti cum cymino et pipere.* Nobis hujusmodi Testacea prae ceteris fortasse arrident, eaque perlibenter comedere solemus in conchae fornice concocta, oleoque, pipere, ac mica panis probe condita. Nihilominus etiam apud nos gratae eorum qualitates paucis solummodo innotescunt.

---

(1) Confer Cap. VIII Part. II *Intr.* pag. 73. (2) *Hist. Nat.* lib. XXXII, cap. 11. (3) *Lib.* III, pag 90.

Molluſci characteres. Argus (Calyciulatus) trachea calyciformi; ore fimbriato-racemoſo, miniaceo, labiiſque muticis baſi connatis; pallio muſculis ramoſis, limboque gemino cirrato, altero tantum ocellato. *Tabula XXVII.*

Inſpice Fig. 5, et 10 Tab. XXVII. *Fig. 5, 10.*

MOLLVSCI ANATOME.

Antequam Argi Calyculati Oſtrea Jacobaea circumcluſi, partium fabricam enucleare ſuſcipiamus, operae pretium nos facturos arbitramur ipſum conchae ſuae valvis patulis adnatum repraeſentare in Fig. 5 Tab. XXVII. *ab*, *cd* ſunt gemini *Fig. 5.* pallii lobi multipliciter cirrati: B, B, branchiae iis incumbentes: *e* os fimbriatum, duplici labiorum pari *i*, *i* refertum: A abdomen trachea *h* inſignitum: *k* viſcus teſtaceum hinc inde abdomini adjacens: D tandem muſculus centralis validiſſimus, cujus adminiculo totum Animal valvis adhaeret, quemque rectum inteſtinum *m* ſuperſcandit, partimque circumambit.

Quilibet pallii limbus in lamellam abit muſculoſam *nn*, *oo* verticaliter erectam, fuſciſque, et croceis maculis uſquequaque variegatam. Margini hujus ſupero cirri inſident ſubulati *rr*, *rr*: at ex infero, praeter parem multiplicemque cirrorum ſeriem *ss*, *ss*, cirri quidam peculiares craſſioreſque ſubinde producuntur illis commixti. Subteretem ipſi formam praeſeferunt; apiceſque mutici lente vitrea perluſtrati membrana convexa virideſcenti, atque nitidiſſima exornati cernuntur, quae lumini obverſa ſmaragdino nitore coruſcat. Membrana haec haud ſecus cirris hujuſmodi connectitur, ac tunica cornea ſcleroticae in oculo humano, quem illorum apices modo memorati perfecte mentiuntur. Cirros hoſce peculiares ad *a*, *b*, *c*, in Fig. 14 ſimul cum reliquis *d*, *e*, *f*, *g*, exhibuimus Microſco- *Fig. 14.* pio adauctos. Nobis illorum compagem, atque ſtructuram iterum iterumque inveſtigandi cupidis numquam res voto ceſſit; ob ſummam etenim ſui exilitatem, lubricitatem, atque mollitiem, nullo pacto eos in longum ſecare potuimus: idcirco etſi Microſcopio acutiſſimo uſi fuerimus, nonniſi formam exteriorem, qualem Fig. 14 repraeſentat, inveſtigare datum eſt. Cirri iſti iis adamuſſim adſimilantur, *Fig. 14.* quos Argum Umbellatum praeſeferre demonſtravimus [1].

Muſculus pallii orbicularis *abc* fibris tendineis exilibus, multifariam ſimul in- *Fig. 13.* textis, compactus cernitur, quemadmodum inter *d*, et *e* in Fig. 15 e Microſcopio *Fig. 15.* exhibetur. Ibi et membrana muſculoſa verſicolor *fg*, et gemina cirrorum ſeries

---

(1) In Articulo Spondyli Gaïderopi, pag. 107.

Tabula XXVII. Fig. 13. *h i*, *m n*, partim erecta, partimque collapsa repraesentatur. Membrana pallii proprie dicta *r s t* musculo centrali validissimo A circumundique adnata, fibris pariter tendineis ramosisque praedita est. Figura haec, ut quilibet facile dignoscet, integrum Animantem ostendit valvis suis spoliatum, atque inter pallii lobos delitescentem.

Fig. 5. Branchiae B, B falciformes, atque tenuissimae, colore subrubro inficiuntur, eamdemque structuram, atque indolem praeseferunt, ac in ceteris hujusmodi Molluscis (1).

Fig. 5. Abdomen A ovato-falcatum, atque depressum, in diversis praegnationis stadiis diverso pariter colore refulget. Colorem in primis rubicundum gerit, inde miniaceum, postremo lactescentem. Interdum gemino simul colore offunditur, quum ova in ovario inclusa diversis temporibus maturitatem suam attingant. Quo fit, ut dum imum abdomen E ovorum congeriem distinctissimam lacteo nitore conspicuam fovet, summum F ex adverso, propter ova nondum ad maturitatem perducta, rubicundum colorem praeseferat.

Fig. 10. Quo abdominis forma probe concipiatur, ipsum in Fig. 10 seorsim delineare constituimus. *a* repraesentat os fimbria rubicunda, atque speciosissima *b c* insignitum, cui gemina labiorum paria *d*, *e*, basi sua in longum simul adnata, hinc inde succedunt. A summo abdomine trachea prominet *f* subovata, cyathiformis, ac limbo veluti fastigiato praedita (2). Gerit ipsa pedunculum *h* teretem, longiusculum, transverse rugosum, et basi elliptica, abdomini veluti incumbente, instructum.

Fig. 6. Gulam, ventriculumque dissectos in Fig. 6 expressos conspicies. Gula *m m* satis ampla, membrana firmissima musculosa conflata, rugis transversis intrinsecus communitur. Ventriculus E F tunica compingitur adeo tenui, ut per ipsam hepatis substantia, qua circumducitur, translucere videatur. Quamdam vero sui plagam crassiorem firmioremque efficit lacertus musculosus in gemina veluti brachia productus. Pylorus *n* medium pene ventriculi obtinet: cetera orificia 1, 2, 3, 4, 5, illi circumposita, ducunt ad jecur; ac proinde ductus biliarii censeri debent, in quorum singulos alii plurimi, at longe minores, influunt, quos *poros biliarios* nuncupare fas est. Animantem hunc et stilo crystallino, et sagitta tricuspide, quae tot Molluscis subsilientibus peculiaria sunt, penitus carere deprehendimus.

---

(1) Confer Caput III Part. II *Introductionis*, pag. 43, et Anatomen Hypogaeae Verrucosae, pag. 45, Ord. I.

(2) Interdum insigniter contracta formam accipit, quam ad *h* in Fig. 5. expressam videbis.

E pyloro *n* producitur intestinorum tractus *p r*, quod ad *r*, seu ad imum ab- *Tabula*
domen paullo dilatatum (sicuti ad *z* in Fig. 5 cernere licet) simplici flexu *r x* je- *XXVII.*
cur attingit, ac e latere pervadit; e cujus postica regione mox erumpens, cordis *Fig. 6.*
cavitatem de more praetergreditur. Musculum adductorem deinde circumambiens anteriora petit, donec tandem inter branchiarum apices desinat, sicuti ad *m* in Fig. 5 conspicere est. *Fig. 5.*

Jecur ventriculo maxime circumductum, perinde ac in ceteris hujusmodi Animantibus, late patet, folliculisque globosis, atque exilissimis compingitur; quorum acervum Microscopio adauctum in Fig. 9 exhibuimus. Naturalem hepatis si- *Fig. 9.*
tum ad *h* in Fig. 13 conspicere juvat. Ovarium fistulosum, labyrinthiforme, prae- *Fig. 13.*
gnationis tempore universum abdomen infarciens, genitali humore lactescenti profluenter luxuriatur, quemadmodum de reliquis hujusmodi Animantibus androgynae naturae in genere dictum est [1].

Imi abdominis radici adjacet utrinque viscus amplum, nigricans, tenuissimum, musculo adductori proxime adnatum, sicuti ad *k* in Fig. 5 adparet. Idem *Fig. 5.*
seorsim amplificatum cernes in Fig. 7, plurimis vasculorum surculis *a*, *b*, *c d*, *Fig. 7.*
etc. usquequaque ditatum. Microscopio acutissimo inspectum, uberrima folliculorum ovatorum congerie, qualem Fig. 4. ostendit, compactum adparet. Ipsum *Fig. 4.*
nonnisi viscus testaceum [2] esse et locus, quem occupat, et fabricae analogia firmiter suadent.

Cunctae Animantis partes hucusque enucleatae circa musculum centralem, seu valvarum adductorem D, veluti contorquentur, firmiterque adhaerescunt, *Fig. 5.*
sicuti de Argo Umbellato Spondyli Gaideropi supra dictum est.

Thorax dorsum Animantis obtinens paullo ultra oris regionem, musculo centrali penitus incumbit. Humore tenuissimo repletur, et cordi, ejusque auriculis continendis addictum est. Pericardium, quo tegitur, est satis firmum, fibrisque musculosis validis intextum. Interdum uniones aliquot parvas, atque globosas, inter duplicem ipsius lamellam strenue adfixas invenimus, quae uniones cum natura, tum colore testam Animantis perfecte referebant [3].

Cor *e* uniloculare, lacertis musculosis simul implexis de more conflatum, re- *Fig. 12.*
ctoque intestino pervium, penes musculum adductorem situm est. Binae auriculae *s o*, *s o*, amplae, varicosae, lacertis reticulatis pariter intextae, superiorem

---

(1) Confer ea, quae dicta sunt Part. II *Introduct.* Cap. VIII, pag. 67.

(2) De hoc viscere consulatur Caput III Partis II *Introduct.*, pag. 42.

(3) Confer ea, quae dicta sunt Part. I *Introduct.* Cap. IV, pag. 18.

cordis partem [1] subeunt. Hae porro ea ratione ad *oo* sub aorta conjunguntur, ut unicum veluti sacculum efficiant semilunatum, gemino orificio praeditum, sicuti de corde Axinaeae Polydermatis ante dictum est [2]. Earum initia *s*, *s* juxta cor fimbriis, sive melius, varicibus plurimis elegantibus exornata conspiciuntur. Latus extimum cujusque auriculae abit in canalem teretem *t*, *t*, sive in venam cavam branchias adeuntem. Venae istae branchiales *tr*, *tr*, oram exteriorem basis hepatis legentes, musculum adductorem superscandunt; mox, perinde ac arteriae sociae eis subjectae, in propagines pectinatas utrinque de more distribuuntur. Et quoniam sacculus auricularis nuper descriptus incumbit proxime musculo adductori, hujus eximia crassities efficit, ut in hoc Animante maximum intercedat intervallum inter cor, et branchias. Quare venae branchiales *tr*, *tr*, longum spatium excurrant oportet, antequam illas adire queant.

Tabula XXVII. Fig. 12. Ab ima, sive rectius dextera cordis regione, arteria erumpit *bd*, quae in sacculum veluti ovatum in primis distenta, mox gradatim attenuata secus rectum intestinum P Q, in musculum adductorem alte infigitur, inque plures ramos dispertitur, qui huc illuc late pergunt. Verosimile est in arteriam istam proxime influere cisternam lacteam, de qua infra dicemus [3].

Fig. 12. Aorta ascendens *am*, ut e corde erumpit, hepar petit proxime sub peritonaeo. Ramos geminos *i*, *i* e regione sitos in primis emittit, qui, perinde ac ramus *x* hepatis superficiem surculis suis legentes, ipsum subinde pervadunt, eique prospiciunt. Vasa isthaec iterum iterumque lacteo humore turgida deprehendimus non in hoc solum, sed in aliis pariter hujusmodi Molluscis, quum truncus aortae praecipuus nullum vehere conspiceretur. Hic porro summo hepate fere emenso, flexuque facto ad *m*, illius substantiam simul petit, poneque os transiens, sub os ipsum denuo se se conspiciendum praebet ad *n*. Ibi a trunco suo valde attenuato trunculus *c* emergit, atque ex eo alii exiles in alios exilissimos divisi, qui super labium inferius, orisque fimbrias multiplices, elegantissime distribuuntur. Truncus *n* prope basim pendunculi tracheae excurrens, abdominis cavitatem petit.

Quo universa arteriarum compages in hoc Animante luculenter pateret, talem illam in Fig. 8 delineare constituimus, qualem hydrargyro refertam se nobis *Fig. 8.*

---

(1) *Superiorem* dicimus ob verticalem Figurae positionem in hac Tabula: si esset ad horizontem, ut in naturali conchae situ, quem in Fig. 5 expressimus, *sinistram* diceremus.

(2) In Articulo Arcae Pilosae, pag. 140.

(3) Id nobis et analogia cum aliis Molluscis, et lactei humoris copia, quam in adjacentibus hujus arteriae ramis pluries conspeximus, maxime suadet.

conspiciendam praebuit. Itaque aorta ascendens *a m* (quae eadem est, ac *am* in Fig. 12) ut abdominis cavitatem attingit, sicuti nuper dictum est, gemino surculo *i*, *s* influit in arteriam *ty*, in quatuor amplos ramos dispertitam. Horum summus *yt* medium tracheae pedunculum praetergressus, totum illius calicem *fh* surculis suis multiplicibus ornat, ut in Figura adparet: alter *yc* jecur e dextero latere circumiens, propagines plurimas illi circumundique largitur. Imus *yz* sub hepate inflexus, faciem illius inferiorem haud secus propaginibus suis exornat, quam *yc* faciem adversam. Postremus denique *yn* imam abdominis semitam legens usque ad ejus apicem *v*, surculos multiplices 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, etc. fere per paria hinc inde tegumentis abdominalibus, intestinis, atque cunctae ovorum compagi, quibus abdomen universum opportuno tempore onustum conspicitur, mirifica quidem ratione impertit, quemadmodum inter *v*, et *d*; et in Fig. 10 inter *y*, et *z* cernere licet in statu naturali [1]. Surculi minimi ex his vasculis erumpentes sunt adeo multi, et ea ratione ad invicem implexi, ut, hydrargyro adfatim in iis illato, abdomen universum penitus obtegere videantur. Truncus praedictus *yn* propaginem *bx* e latere profert, quae viscus testaceum attingens, ipsum surculis suis irrorat usquequaque. *Tabula XXVII. Fig. 10. Fig. 8.*

Vasorum lacteorum compages a cunctis Animantis partibus redux, musculum adductorem D superscandit cute circumducta, sicuti ad *xx* in Fig. 5 cernere est. Hinc penes imum abdomen cisternam lacteam petit, quae musculi praedicti crassitiem quodammodo pervadit, inque aortam inferiorem per illum praetergredientem, lacteum humorem effundit. *Fig. 5.*

Quamvis Animal hucusque descriptum Argo Umbellato, quem Spondylum Gaïderopum incolere demonstravimus [2], summopere adsimiletur, ea tamen inter ipsos differentia intercedit, quod Argo Umbellato trachea insit orbiculata, sulcis insignita, umbellam veluti referens, pedunculoque brevissimo instructa; quod labia sint ovato-acuminata, atque divisa; quod in limbo pallii supero nulli insint cirri; quod demum cordis auriculae sint omnino disjunctae.

Anatomen hujus Animantis satis imperfectam, iconeque maxime inconcinna, tradidit Listerus in Tabulis anatomicis, quas ad calcem *Historiae Conchyliorum* Editionis Oxoniensis A. 1770 adjectas invenies; nominatim vero in Fig. 2 Tab. IX. Quod ipsi praestiterimus ad hujusmodi anatomen novis inventis, iconi-

---

(1) Trunci arteriosi *x*, *m*, *n*, *y*, qui in Fig. 10 abdomini adnati exhibentur, iidem sunt, ac *z*, *c*, *b*, *v* in Fig. 8, ubi ex abdomine distracti, penitusque liberi repraesentantur.

(2) In Articulo Spondyli Gaïderopi, pag. 106.

busque adcuratissimis cumulate illustrandam, ii facile dignoscent, qui nostras hasce lucubrationes cum Listeri tentaminibus conferre maluerint.

OSTREA CITRINA.

Ital. *Pettine Cedrino.*

Tabula XXVIII Fig. 15. *Testae characteres.* Concha rotundata, aequivalvis, citrina, radiis circiter duodecim gibbis, laevibus; sulcis tenuissime in longum striatis; auriculis subaequalibus, cardine recto.

Testae descriptio. Testa rotundata, aequivalvis, atque aequilatera, radiis circiter duodenis, teretibus, latis, laevibusque discriminata usque ad apices. Sulci interpositi striis exilibus in longum decorantur. Auriculae amplae prope aequales; cardo rectus. Tota concha citrino colore refulget.

Historia. Concham inanem pluries nacti in Cratere Neapolitano, sinuque Tarenti, Animantem, quem tegit, penitus ignoramus.

OSTREA RUSTICA.

Ital. *Pettine Rustico.*

Fig. 13. *Testae characteres.* Concha rotundata, aequivalvis, rudiuscula, in longum transversimque tenuissime striata; radiis circiter decem rotundatis; auriculis subaequalibus, cardine recto.

Testae descriptio. Concha fere orbicularis, vel subovata, aequivalvis, atque aequilatera, visu rudis. Valvae subpellucidae radiis circiter denis rotundatis, atque latiusculis discriminantur, qui in conchae cavitate totidem efficiunt radios rectangulos explanatos, atque secus marginem denticulatos. Tota concha striis exilibus inconditis, confertissimis, tum in longum, tum in transversum obsita est. Auriculae insignes prope aequales; cardo rectus. Altera valva albidum, vel cinereum colorem refert maculis fuscis late conspersum; altera albida est, vel sordide flavescit; nonnumquam ad apicem colore fusco maculata.

In Cratere Neapolitano, in sinu Tarentino, ac in mari Siculo hujusmodi conchae infrequentes sunt, atque interdum trium prope digitorum latitudinem attingunt. Cum Ostrea Citrina tantam adfinitatem habent, ut nisi adfectiones sui peculiares sedulo contemplatae, praeter coloris discrimen, speciei discrimen ostenderent, pro illius varietate accipiendas esse existimaremus. Animantem, quem obducunt, nullo pacto conspicere datum est [1].

---

(1) Ostream hanc eamdem esse, ac *Maculatam* (Born *Test. Mus. Vindob.* pag. 105) graviter suspicamur.

OSTREA NEBVLOSA.

Ital. *Pettine Marezzato*.

Testae characteres. Concha rotundata, aequivalvis, in longum striata; radiis circiter decem teretibus; maculis nebulosis; auriculis subaequalibus, cardine recto. *Tabula XXVII. Fig. 12.*

Testae descriptio. Concha prope rotunda, aequivalvis, ac aequilatera. Valvae et radiis denis rotundatis, et striis longitudinalibus, quae in sulcis maxime conspicuae sunt, instruuntur. Intus item radiatae radiis rectangulis. Auriculae ferme aequales; cardo rectus. Color rufus maculis albis nebulosis, et zonas, et sinus varios venuste efficientibus, distinguitur. Intus rufescit.

Ostrea haec adeo similis est Ostreae Rusticae, ut nisi obessent striae dumtaxat in longum, magisque elegantes, et constans colorum differentia, eam profecto tamquam illius varietatem respexissemus.

Habitat libentius in mari Siculo, et sinu Tarentino, unde illam conquisivimus omnino inanem.

OSTREA HYALINA.

Ital. *Pettine Vitreo*.

Testae characteres. Concha rotundata, transversim divaricata, depressa, tenuissima, aequivalvis, nitida; radiis circiter decem latiusculis, explanatis, obsoletis; auriculis subaequalibus, cardine recto. *Fig. 6.*

Testae descriptio. Concha prope rotunda, in transversum paullo divaricata, valde depressa, aequivalvis, ac aequilatera, ultra modum tenuis, atque diaphana instar vitri, nitidissima. Valvae glabrae radiis circiter denis decorantur ita depressis, ut nonnisi adverso lumine percipiantur. Intus pariter radiata, radiorum marginibus elatis. Ambitus exterior crenis exilissimis dissectus adparet. Concha flava, saepe albida, maculis rufis sparsim distincta.

Historia. Raro occurrit inter Ostreas Varias, atque Sanguineas, eumdemque Animantem recondit; de quo infra dicemus.

OSTREA PLICA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1145.

Ital. *Pettine Ripiegato*. Neap. *Pellerinella*. Germ. Der gewolfte Mantel.

Angl. *The little yellow Scallop*.

Rumph. *Thes. Amb.* Tab. XLIV, Fig. O.

Argenville *Conch.* Tab. XXIV, Fig. C.

Tabula XXVIII Fig. 1, 2. *Testae characteres.* Testa rotundato-divaricata, aequivalvis, laevis; hinc radiis quinis crassis gibbis, inde senis in longum striatis; auriculis subaequalibus, margine denticulato.

Testae descriptio. Concha subrotunda transversim divaricata, aequivalvis, ac aequilatera, laevis, in ambitu tantum saepe striata. Valva altera radiis quinis, crassis, elatis obsita; altera vero radiis senis, quorum singuli una vel altera stria in longum gaudent. Margo denticulis prominentibus ad radiorum oram exasperatur. Auriculae subaequales, latae; cardo rectus.

Fig. 1, 2. Concham hanc in Fig. 1, et 2 Tab. XXVIII exhibuimus, ut ambarum valvarum
Fig. 3. adfectiones paterent. Denticulos marginales in Fig. 3, quae valvas patulas repraesentat, conspicere juvat.

Historia. Cum Ostrea Varia, de qua infra dicemus, aliisque hujus generis promiscue vivit; at infrequenter occurrit. Idem pariter Molluscum in se recondit; de quo infra disseremus.

OSTREA INFLEXA.

Ital. *Pettine a Scatolino.*

Fig. 4, 5. *Testae characteres.* Concha subrotunda, subaequivalvis, aspera, radiis quaternis, vel quinis exertis, scabris, clavatis, abbreviatis; ambitu inflexo, tenuissime striato; auriculis minimis, margine crenulato.

Testae descriptio. Concha ovato-rotundata, ventricosa, striis muricatis undique obsita. Valvae ut plurimum inaequales. Utraque radios habet quinos, interdum quaternos, teretes, elatos, clavaeque formam referentes, qui porro ad testae ambitum non pertingunt. Ambitus iste in utraque valva ea ratione inflectitur, ut concha pyxidis formam imitari videatur. Margo tenuiter crenulatus. Auriculae minimae, inaequales; cardo rectus. Valvae discolores; altera roseo, vel miniaceo colore imbuitur, altera niveo candore coruscat.

Quo pyxidata conchae forma plane patefieret, ipsam patulam delineavimus
Fig. 5, 4. in Fig. 5 Tab. XXVIII. Eam deinde penitus compressam ostendit Fig. 4.

OSTREA CLAVATA.

Ital. *Pettine con raggi a modo di Clava.*

Fig. 17. *Testae characteres.* Testa subovata, inaequivalvis, radiis quinis crassis, subabbreviatis, laevibus; margine crenulato, auriculis minimis.

Testae descriptio. Concha ovato-rotundata, inaequivalvis, aequilatera, ventricosa, glabra. Valvae radiis quinis teretibus, elatis, laevibus clavae formam ad

apicem anteriorem referentibus, obsitae sunt, qui ad conchae ambitum aegre pertingunt. Valva altera gibbosior est, in ambitu leviter crenata. Auriculae pene aequales, minimae; cardo rectus. Valvae discolores: altera miniacea punctis albicantibus conspersa; altera nivea.

Ostrea haec praecedenti quam maxime adfinis est: differt tamen insigniter ob valvarum ambitum non inflexum, earumdemque laevorem.

Historia. Cum praecedentibus hospitatur, ejusque Molluscum numquam conspeximus.

OSTREA FLEXVOSA.

Ital. *Pettine a onda*.

Testae characteres. Testa rotundata, fragilis, aequivalvis, laevis; radiis quinis gibbis, sulcisque insignibus undarum instar sinuata; auriculis subaequalibus, cardine recto. *Tabula XXVIII Fig. 11.*

Testae descriptio. Concha prope rotunda, tenuissima, aequivalvis, ac aequilatera, laevis. Radii quini maxime gibbi, sulcique, pares, qui intersunt, concham universam tum extrinsecus, tum intrinsecus undarum ritu flexuosam reddunt. Auriculae fere aequales striis transversis saepe muricatis obsitae sunt. Cardo rectus. Testa cinerea punctis fuscis, ac rufis eleganter variegata.

Historia. Rara admodum est apud nos; ideoque Molluscum in ea reconditum perquirere non potuimus.

OSTREA SANGVINEA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1146.

Ital. *Pettine Variegato*.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXIV, Fig. N.

Testae characteres. Concha subrotunda, aequivalvis, radiis circiter XXII exiguis, confertis, scabriusculis; auriculis subaequalibus, cardine recto. *Fig. 7.*

Testae descriptio. Concha fere rotunda, aequivalvis, ac aequilatera. Radii circiter viginti duo exigui, atque conferti, valvas tenues discriminant, quae digitis contrectatae scabriusculae esse sentiuntur. Auriculae pene aequales; cardo rectus.

Nulla ferme concharum species tanta colorum varietate superbire deprehenditur, ac Ostrea, de qua agitur; unde ipsam *Versicolorem* potius, quam Sanguineam diceremus. Insigniores varietates, inter tot tantasque, quas hoc in aequore conquisivimus, ad sequentes referemus:

(*a*) Purpurea, vel rosea, maculis fulvis variegata.

(*b*) Tota concha atro-purpurea.

(*c*) Citrina maculis niveis sparsis.

(*d*) Tota concha citrino colore imbuta.

(*e*) Nivea maculis fuscis, vel roseis; vel tota nivea.

(*f*) Tota concha crocea, vel albis maculis nebulosa.

(*g*) Concha universa laete violacea, vel maculis albis conspersa.

Inter Ostreas Sanguineas quaedam sunt omnino glabrae, ac laeves, quas post sedulam perquisitionem nonnisi naturae lusu variatas esse existimamus.

Historia. Concha haec ubique copiosissima, stirpibus marinis, rudentibus, cymbarum carinis, suberum frustis, sublicis, aliisque similibus rebus, per byssum, quo Molluscum gaudet, leviter adhaeret. Nonnumquam in spongiarum anfractibus recondita invenitur. Sepia Octopodia ei maxime insidiatur, cujus vafritiem impigre effugere studet, ut supra dictum est [1]. Ab aqua subducta crebris motibus hiare, comprimique conspicitur per longum temporis intervallum. Celerrime integram magnitudinem attingit; foetus namque exclusi mense Junio prope vertente, Idibus Julii semidigiti latitudinem adquirunt; et mense Octobri, vel Novembri integram aetatem nacti, ad speciem propagandam idonei fiunt [2]. Carnes exiguae a cunctis negliguntur.

Mollusci characteres. Argus (Crinitus) trachea abdominali ligulata, fissa, ad cujus radicem crines byssini, fasciculati, breves; pallio multipliciter cirrato, ocellato.

Tabula XXVIII Fig. 8. Inspice Fig. 8 Tab. XXVIII.

MOLLVSCI ANATOME.

Fig. 8. Molluscum inhabitans Ostream Sanguineam, ut ex Fig. 8 adparet, fere omnino convenit cum incola Ostreae Jacobaeae, et Spondyli Gaïderopi, praeter tracheae abdominalis formam, et barbam bissinam, qua ejus radix instruitur more Vermis Mytili Edulis, de quo infra disseremus. Trachea abdominalis est fere ligulata, ut in Verme illo, et fissa. Barba brevis componitur ex filis veluti sericeis ramosis, e trunco brevi exsurgentibus, qui radice conica gaudet, qua profunde in ligulae basim infigitur. Microscopio perlustrata, ex plurimis lamellis conflata
Fig. 9. conspicitur, quemadmodum in Fig. 9 delineatum videbis.

---

(1) In historia Ostreae Jacobaeae, pag. 151.

(2) Confer Caput VIII Part. II *Introductionis*, pag. 73.

Ceterum Pallium intus revolutum, limbo inferiore multipliciter cirrato, et ocellato; superiore cirris dumtaxat proceribus, subulatis hirto: pars pallii revoluta maculis fuscis eleganter conspersa. Pallii membrana musculis ramosis instructa. Os venuste fimbriatum; labia fusca, inde transverse striata. Abdomen ovatum, sive lanceolato-compressum, gestationis tempore ovis onustum ad apicem usque: pes nullus. Musculus centralis magnus, e duobus revera compositus. Intestinum rectum musculum adductorem circumdans, extremitate pendula. Branchiae divisae, membranae latae subtrigonae adfixae. Idcirco quisque videt Molluscum hujuscemodi cum Mollusco Ostreae Jacobaeae (praeter tracheae formam, et barbam, ut jam dictum est) omnino convenire. Quare barbae existentia, et tracheae adfectiones characteres speciei clare indicare videntur.

** Pectines aequilateri auricula altera excisa.

OSTREA VARIA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1146.

Ital. *Pettine Variato*. Neapol. *Pellerinella*.
Venet. *Canestrelli di mare*.
Gall. *Manteau pointillé*. Germ. Der bunte Mantel. Belg. *Gestippelte Mantel*.
Angl. *The variegated Scallop*.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CLXXVIII, Fig. 15.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXIV, Fig. M, R.
Pennant *Brit. Zool.* Tab. LXI, Fig. 64.

Testae characteres. Testa subovata, aequivalvis, radiis circiter XXXIII rotundatis, confertis, muricatis; auricula altera veluti excisa; cardine subobliquo. *Tabula XXVIII Fig. 10.*

Testae descriptio. Concha prope ovata, aequivalvis, ac aequilatera. Valvae tenues, ac firmae, radiis circiter triginta tribus exiguis, gibbis, atque confertis obsitae, aculeis veluti imbricatis, tenuibus secus radios horrescunt. Aculei isti in quibusdam satis exerti, ac spissi, in plerisque detriti, et nonnisi sparsim hic illic inveniuntur, et concha universa nitida adparet. Auricula altera exerta, ampla, transversim oblique striata; altera brevissima, ac veluti excisa. Umbones acuti, elegantes. Cardo fere obliquus. Utraque valva coloribus variis venuste variegata superbit; quorum praecipuae varietates hae sunt:

(*a*) Subviolacea, maculis fuscis conspersa, umbonibus, auriculisque miniaceis.

(*b*) Maculis violaceis, fuscis, fulvisque variegata.

(*c*) Subrosea, umbonibus, auriculisque miniaceis.

(*d*) Tota concha violacea, vel tota cinnabarina.

(*e*) Coccinea, albo croceoque variegata.

(*f*) Albo-purpurea.

Tabula XXVIII Fig. 10. Fig. 10 Tab. XXVIII concham istam mediae magnitudinis repraesentat. Frequentissime autem ad duplo majorem excrescit.

Molluscum inhabitans Ostream Variam idem prorsus est, ac Ostreae Sanguineae, de quo supra dictum est. Quare illius Anatomen perquirere juvabit. Item easdem colit aequoris plagas, ubi promiscue hospitatur.

OSTREA MVLTISTRIATA.

Ital. *Pettine a molte strie.*

Fig. 14. *Testae characteres*. Concha ovata, aequivalvis, radiis circiter quinquaginta exilissimis, confertis, muricatis; auriculis inaequalibus, cardine subobliquo.

Testae descriptio. Concha ovata, aequivalvis, ac aequilatera. Valvae tenues radiis circiter quinquaginta, exilissimis, densatis discriminantur, qui, perinde ac testa universa, aculeis exiguis, atque confertis, nonnisi lente vitrea conspiciendis, vel contrectatu sentiendis, horrescunt. Auriculae inaequales: cardo vix obliquus. Tota concha cinnabarina, vel rosea, punctis albescentibus depicta est.

Inter Ostream hanc, et Variam tanta adfinitas intercedit, ut nonnisi ob radiorum numerum, atque aculeorum magnitudinem differant. Haec, licet rariuscula, cum illa, et Sanguinea promiscue vivit, eumdemque Animantem includit.

OSTREA CORALLINA.

Ital. *Pettine Corallino.*

Bonann. *Recr.* Class. II, Fig. 7.

Fig. 16. *Testae characteres*. Concha ovata, in longum dense striata; radiis octonis elatis, crassis; auricula altera ampla, verrucosa.

Testae descriptio. Concha ovata, aequivalvis, ac aequilatera, planiuscula. Radii octo crassi, valde gibbi, paribus sulcis interpositis valvas discriminant; qui, perinde ac tota concha, striis insignibus in longum gaudent. Auricula altera amplissima, verrucis inaequalibus seriatim digestis transverse exasperatur; altera minima est. Concha universa tam extrinsecus, quam intus corallino colore nitet. Unam tantum vidimus croceo colore imbutam.

Ostrea haec lente acuta perquisita opus mirificum dense reticulatum, ac speciosissimum oculis offert, quo concha universa extrinsecus, quà late patet, obvelata conspicitur.

Historia. Apud nos rarissima est hujusmodi concha; ideoque Molluscum, quod obducit, ignoramus.

*** Pectines altero latere gibbosiores auriculis brevibus.

OSTREA GLACIALIS.

Ital. *Pettine Agghiacciato*. Germ. Die Eismuschel. Belg. *Ys-Schor.*

Born *Test. Mus. Vindob.* Tab. VI, Fig. 7.

Testae characteres. Concha oblique ovata, aequivalvis, inaequilatera, utrinque hians; radiis circiter XXXII asperis; cardine obliquo; auricula altera intus scrobe pertusa. *Tabula XXVIII Fig. 19, 21.*

Testae descriptio. Concha ovata, oblique paullo distorta, ventricosa, latere postico gibbosiore, magisque exerto; utrisque hiantibus. Valvae aequales, tenues, pellucidae, radiis 30 ad 32 exiguis, scabriusculis, obsolete verrucosis obsitae. Margo integerrimus. Auriculae brevissimae, inaequales, quarum altera intus scrobe profunda insculpta est. Cardo obliquus. Tota concha nivea, ac veluti ex glacie compacta, fascia miniacea diluta secus ambitum plerumque decoratur [1].

Historia. Concha haec haud vulgaris in Cratere Neapolitano, communis admodum est in sinu Tarentino, et in quibusdam Siciliae oris. Haud procul a Promontorio Pausilypi piscatorum retibus implexa raro comprehenditur.

Mollusci characteres. Glaucus (Unilabiatus) pallio cirris plurimis, longissimis, coccineis; abdomine ovato depresso; branchiis brevissimis; labio unico ad os, appendicibus conjunctis.

Inspice Fig. 20 Tab. XXVIII. *Fig. 20.*

MOLLVSCI ANATOME.

Glaucum Unilabiatum pallii lobis patentibus, in Fig. 20 Tab. XXVIII ad vivum delineavimus. Pallii limbus *a b c d* latus, crassus, ac introrsum revolutus dum conchae adhaeret, cucullum veluti efficit ultra oris regionem, cujus partem *f* sur- *Fig. 20.*

(1) Illustris Born testam hanc *Fasciatam* adpellavit in suo Opere *De Test. Mus. Vindob.*, et Figuram E Tab. 74 Gualterii oscitanter pro ea indicavit. Nos *Glacialem* diximus, ut ab *Ostrea Fasciata* Linnaei (ab illa Borni toto caelo diversa) ipsam distingueremus.

sum reflex imus ad os *e* palam faciendum. Limbus idem circumundique in duplicem lamellam secedit, quarum altera cirris plurimis, confertis, subulatis, in seriem multiplicem digestis, atque longissimis, in ambitu obsita est. Cirri isti lente vitrea inspecti, sulcis exilibus, crebris, cum in longum, tum in transversum, gaudere videntur: quo fit, ut granulati veluti adpareant. Mense Februario, atque Martio perquisiti, perinde ac pallii limbus, venusto roseo colore inficiebantur. Pallii membrana simplex, praeter vasa reticulata vix nudis oculis conspicienda, vasis lactiferis gaudet in ramos plurimos dispertitis, ac in cisternam postremo confluentibus, quemadmodum de ceteris iterum iterumque dictum est.

Musculus valvarum adductor, cui pallium in ambitu adhaeret, est unicus, teres, maxime crassus, ac in centro veluti Animantis consitus. Rectum intestinum *i*, abdomine subductum, musculum illum superscandit; ejusque extremitas libera, et pendula est, ut in Figura adparet.

Branchiarum lobi *m*, *m* quadrigemini, ut in ceteris mos est, brevissimi, ac flavescentes, sub pallii lobis fere omnino delitescunt.

Trachea abdominalis *z* in transversum rugosa, pedunculoque instructa, clavam veluti refert capite fisso. Dum ipsam exploravimus coccineo colore coruscabat.

Tabula XXVIII Fig. 20. Os *e* formae singularis; equidem gaudet labio unico *o* crasso, desinente utrinque in appendices binas striatas, secus oram inferiorem simul junctas.

Abdomen *x* semiovatum, depressum, pede carens; cujus munus pro re nata a trachea abdominali *z* posset absolvi. Hepar inibi inclusum, folliculisque de more compactum, caeruleo colore nitebat. Nulla ovarii vestigia vere ineunte. Intestinorum progressus in genere, ut in ceteris Molluscis hujus Ordinis. Cor uniloculare, auriculis refertum, pericardio tectum, dorsum Animantis tenet, ut in reliquis. Circulationis semitas ob maximam partium gracilitatem investigare non potuimus.

OSTREA LIMA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1147.

Ital. *La Raspa*. Gall. *La Ratissoire, ou la Rape*. Germ. Die Feile.

Belg. *Rasp-doublet*. Angl. *The File*.

Bonann. *Recreat.* Class. II, Fig. 71.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CLXXVII, Fig. 14.

Rumph. *Thes. Amboin.* Tab. XLIV, Fig. D.

Klein *Method. Ostracol.* Tab. IX, Fig. 34.

Argenville *Coqu. du Séneg.* Tab. XXIV, Fig. E.

Testae characteres. Concha ovata, aequivalvis, antice subfalcata; sulcis circiter viginti imbricato-aculeatis; auriculis brevibus inaequalibus; cardine obliquo. *Tabula XXVIII Fig. 22, 23.*

Testae descriptio. Concha ovata, inaequilatera, ad cardinem acuminata, apicibus ultra cardinem porrectis, latere antico prope falcato. Valvae aequales, at crassiusculae, radiis ultra vicenis elatis, rotundatis, imbricatis, confertis, in longum exasperantur. Aculei, quibus horrescunt, in junioribus acuti, atque porrecti, in senescentibus mutici, brevioresque fiunt. Nonnumquam maris injuria graviter labefactati, vel mordicus abrasi inveniuntur; ita ut rerum hujusmodi ignari facile sibi persuadeant, conchas illas alteram sane speciem constituere. Auriculae brevissimae: antica longe minor, ac ferme recisa. Apices acuminati, ultra auriculas protensi. Valvae intus sulcatae margine integro. Tota concha tum extrinsecus, tum intus niveo candore nitet.

Historia. Ostrea Lima haud infrequens in utriusque Siciliae mari, intra Spondylorum, Ostrearumque Rudium valvas inanes inveniri solet, aliis similibus saepe consociata. Cum byssino capillitio, e Mollusci corpore derivato, valvis illis adhaeret. Nonnullae aetate procedente ad ternos prope digitos excrescunt. Pro esca non utimur ob earum paucitatem. Conchytae dumtaxat, quando eas capiunt, earum carnes crudas edere consuescunt.

Mollusci characteres. Glaucus (Capillatus) pallio multicirrato, cirris brevibus; ore fimbriato miniaceo; trachea abdominali clavata, fastigiata, fissa, byssino capillitio ad basim instructa.

Inspice Fig. 24 Tab. XXVIII. *Fig. 24.*

MOLLVSCI ANATOME.

Glaucum Capillatum valvis patentibus A, B Ostreae Limae adhuc adnexum, *Fig. 24.* in Fig. 24 Tab. XXVIII expressum exhibuimus. *a b*, *c d* sunt ambo Pallii lobi, multiplici cirrorum serie referti. Ejus limbus, cirrique breves ocellis destituti, roseis maculis, diluteque croceis conspersi adparent. Branchiae C, D, Pallii lobis utrinque incumbentes, imis apicibus ejusdem musculum orbicularem prope attingunt. Trachea abdominalis *e* teres, rugosa, ad apicem fastigiata cum rima media, sicuti in Glauco Unilabiato. Ex ejus radice, quâ os respicit, exsurgit villorum veluti penicillus exiguus *i* modicae longitudinis. Villi hi crassiusculi ab unico communique trunco procedunt, quemadmodum in Anatome Mollusci Mytili Edulis postea ostendemus. Quâ vero respicit intestinum rectum *m*, prominet glandula nigricans *n* lenticulae magnitudine, ferme hemisphoerica, e binis veluti

partibus arcte simul junctis conflata, quam superscandit filum veluti tendineum coloris fulvi, secus tracheam praedictam quodammodo protensum. Verosimile est filum hoc esse ductum excretorium glandulae illius.

Tabula XXVIII Fig. 24. Os *r* eleganter fimbriatum, roseum, labiisque *s*, *s* quadrigeminis hinc inde refertum. Abdomen haud exertum. Progressus intestinorum idem prope, ac in reliquis hujusmodi Molluscis: apex *m* intestini recti omnino solutus, propeque sphincterem, ubi iterum constringitur, dilatatus.

Ovarium roseum tempore opportuno, ramosum, et de more elegantissimum. Pergit sursum ad oris latera *x*, *x*, cujus regionem, ejusque viciniam longe lateque subit spectaculo jucundissimo; perque sui propagines hepar substratum adparere sinit, dummodo ovis non turgeat. Mense Majo jam vertente sedulo perquisitum, ingenti ovorum numero infartum conspeximus, quae in branchiarum loculis [1] radiatim stipata, illas roseo colore inficiebant. Item ova ipsa roseo colore nitentia, e branchiis jam eliminata, inter pallii lobos, quâ late patebant, profluenter dispersa deprehendimus, ut mari protinus committerentur.

Cor uniloculare, auritum, in Animantis dorso de more locatum, arteriis, venisque instructum, quarum propagines earummet gracilitas perquirere prohibuit.

Musculus valvarum adductor, perinde ac quatuor recti abdominales, capitibus suis valvis adfixi, ampli, robusti, argenteo nitore conspicui. Reliquae corporis partes, praeter adhuc descriptas, aeque ac trachea, albidae sunt.

**** Pectines inauriti.

OSTREA PES LVTRAE.

Linn. *Mantis. alter.*

Ital. *Pettine a piè di Lontra.*

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXIV, Fig. CC.

Fig. 18. *Testae characteres.* Concha ovato-cuneata, glabra, radiis quinis elatis, crassis; auriculis nullis.

Testae descriptio. Concha ovata, ad latera divaricata, atque rotundata; ad cardinem insigniter attenuata, cunei pene formam aemulatur. Valvae glabrae, aequales, ac aequilaterae, radiis quinis, vel senis crassis, atque prominentibus obsitae sunt. Auriculae nullae. Testa flava, vel albescens.

---

(1) Consule Caput III Part. II *Introduct.* pag. 43, et Anatomen Hypogaeae Verrucosae, pag. 45 Ord. I.

Historia. Rarissima hujusmodi concha in ora universa sive maris Mediterranei, sive Adriatici, inanis nobis occurrit inter congeriem Ostrearum diversi generis, in piscatorum retibus comprehensam.

***** Ostreae Rudes.

OSTREA EDVLIS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1148.

Ital. *Ostrica comune*. Neapol. *Ostreca.* Venet. *Ostrega*. Gall. *Huitre*. Germ. Die gemeine Auster. Belg. *Gewoone Oyster*. Angl. *Edible Oyster*.

Rondelet. *Test.* pag. 37.
Lister *Hist. Conch.* Tab. CXCIII, Fig. 30.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. CII, Fig. B.
Ginann. *Op. post.* Tab. XVIII, Fig. 127.
Baster *Opusc. Subsec.* Tab. VIII, Fig. 1, 2.
Pennant *Brit. Zool.* Tab. LXII, Fig. 70.

Testae characteres. Testa ovato-rotundata, inaequivalvis; lamellis undulatis tenuissimis transversim imbricata; operculo plano, margine laevi. *Tabula XXIX. Fig. 1.*

Testae descriptio. Testa rudis, irregularis, modo orbiculata, vel subovata, interdum ad cardinem elongata, ubi jugiter coarctatur (1). Operculum explanatum (raro convexiusculum), forniceque tenuius, lamellis testaceis fragilissimis, leviter undulatis, confertis, ac imbricatim digestis, transversim tegitur. Fornix crassior, atque gibbosior, lamellis crassioribus, remotioribus, sinuosisque communitur. Nonnumquam veluti sulcatus adparet. Per aliquam illius partem tota concha variis rebus, de quibus infra dicemus, firmiter adligatur. Margo lamellosus, fragilissimus, saepe subundulatus, laevis. Cardo Generis. Color testae subfuscus, interdum in fornice leviter purpurascit. In lacu Fusario uterque ferme nigrescit. Intus in ambitu saepe livent; ceterum argenteo candore nitent.

Haec omnia sic cecinit elegantissime Giannett. noster lib. VIII *Halieut.* pag. 180.

Se gemina mollis testa tegit Ostrea, gibbo
Concava quae multo non est: tamen aspera sordet,
Et non aequa luto, tenuesque facillima scindi
Sectilis in crustas, intusque argentea candet
Et laevis, biforesque aperit pulcherrima valvas.

---

(1) Inter centenas, quas iterum iterumque perlustravimus, vix unam vel alteram invenire est, in quarum forma nullum insit insigne discrimen. Cunctae nihilominus ad formas hic enumeratas prope accedunt.

Tabula XXIX. Fig. 1.

Fig. 1 Tab. XXIX Ostrearum Edulium acervum repraesentat saxo A adligatum. *a*, *b*, *c* operculum imbricato-lamellosum visui offerunt: *d* autem fornicem gibbosiorem. *ef* postremo alteram hujusmodi concharum exhibent valvis diductis.

Historia. Quâ terrarum orbem longe lateque mare circumfluit, nullum profecto Testaceorum genus tam vulgare, atque commune est, quam Ostrea Edulis. Gignitur illa ubique locupletissime, valvaque sua inferiori strenue adfigitur, vel scopulis submarinis, vel saxis solutis, perinde ac navibus diu stantibus, palis, in terram defixis, Testaceis omnigenis, Cancrorum chelis, marinis stirpibus, vasis fictilibus in aequoris fundum forte delapsis, aliisque similibus rebus sub aquis, sive marinis, sive pallustribus, demersis. Praestat hoc munus humor crassus, atque glutinosus, per organicam testae fabricam praeterfluens, et ferruminosam indolem praeseferens; quo fit, ut nonnisi vi adhibita divelli queant. Jugiter gregatim degunt: saepissime vero tam copiose, ut ingentes acervos componant, et magnitudine, et venustate conspicuos: nonnumquam Opuntiae ramos perbelle imitantur. *Gaudent*, sicuti Plinius quoque animadverterit [1], *dulcibus aquis, et ubi plurimi influunt amnes*, quemadmodum Tarenti fieri novimus, ubi septeni dulcium aquarum fontes in eo maris recessu, qui *Mare piccolo* nuncupatur, ab imo gurgite erumpentes, marinisque aquis commixti, ingentem Ostrearum numerum alliciunt, easque reddunt suavitate praestantes.

Hoc idem a laudato Giannettasio suavissimo carmine pronunciatum audire juvabit:

Insuper his, non omni, piscator, arena
Ostrea dura leges: sed qua vaga flumina cursu
In mare prorumpunt celeri, et qua litore propter
Stagnantes siluere latus, turpesque paludes,
Inque Thetin se subter agunt, et sicubi dulcis
Rivus aquae sonat, aut pelago fons surgit ab imo:
Vel qua sunt coeno loca pinguia, limus et ater
Plurimus aggeritur, muscusque, et decolor alga.
Nam quae Naiades perflant, rivique sonantes,
Et pingui limus, spissaque uligine pascit,
Gustu grata magis, placidoque tenerrima succo [2].

Affluenter etiam proveniunt in lacu Fusario (vulgo *Fusaro*) prope Linternam paludem, cui aequor illabitur, REGIS munificentia a Tarento adlate. *Gignun-*

(1) *Hist. Nat.* lib. XXXII, Cap. 6. (2) *Halieut.* lib. VIII, pag. 180.

tur tamen (subjungit Plinius) *et in petrosis, carentibusque aquarum dulcium adventu*. Variant et crassitudine, et saporis suavitate pro varietate locorum, ubi hospitantur. Apud nos Tarentinae sunt ceteris praestantiores. Magnitudinem in Fig. 1 Tab. XXIX expressam in genere praeseferunt; at in quibusdam locis, quemadmodum apud nos ad Porticus Herculanenses, in plaga *Granatello* dicta, novem ferme digitorum Parisiensium latitudinem attingunt. Sic *in Indico mari Alexandri rerum auctores*, prout ex Plinio habemus, *pedalia inveniri prodidere. Nec non inter nos* (addit ipse) *nepotis cujusdam nomenclator Tridacna appellavit: tantae magnitudinis intelligi cupiens, ut ter mordenda essent* (1). T. XXIX. Fig. 1.

Ostreae, de quibus sermo est, apud Romanos fuere in deliciis quam maxime, iisque, monente Plinio (2), palmam mensarum divitum tributam esse cognoscimus. Equidem in coena pontificia Metelli, qua die Lentulus Flamen Martialis inauguratus est, in primis echinos, ostreas crudas, pelorides, spondylos, adpositos esse Macrobius tradidit lib. III *Saturnalium*, Cap. 13. Quamobrem haud mirum compertas iis fuisse varias Ostrearum qualitates pro regionum varietate, e quibus adferebantur; quas, *ne fraudarentur gloria sua litora*, sic enumerat laudatus Plinius (3): *Cyzicena majora Lucrinis, dulciora Britannicis, suaviora Medulis, acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, sicciora Coryphantenis, teneriora Istricis, candidiora Circeiensibus: sed his neque dulciora, neque teneriora esse ulla compertum est*. Erant item apud ipsos, qui a saporis natura tuto pronunciare possent unde illae fuerint advectae: cui sane alludit Juvenalis Satyr. IV, ver. 141.

...... Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu,
Et semel aspecti litus dicebat echini.

Romanos hac super re luxuria tantum incessit, ut ne certaretur utrum Brundusianae Ostreae essent suaviores Britannicis, excogitatum est, utrumque Ostrearum genus post diuturnam famem ab advectione longinqua, simul in Lucrino vivario pascere, ut eosdem inde sapores ambo referrent. Etiam nostra aetate Ostreae Britannicae, et crassitudine, et suavitate celebratissimae sunt; at Brundusianae penitus interiere, coluntur que dumtaxat Tarenti, quae suavissimae ab omnibus existimantur. Ingens earum copia Neapolim quotannis adfertur hiberna tempestate. Pro iis autem vivis servandis in advectione tam longinqua, sacculis eas committunt nive stipatas, et tam arcte compressas, ut hiare nullo modo pos-

(1), (2), (3) *Hist. Nat.* Lib. XXXII, Cap. 6.

sint. Hac ratione vitalis humor, quo abundant, illis quodammodo nutriendis par esse invenitur. Quod equidem de aliis quoque Testaceis intelligatur, sicuti alibi adnotavimus [1].

Ostrearum vivaria primus omnium invenit Sergius Orata, aetate L. Crassi Oratoris ante Marsicum bellum; idque non gulae, sed avaritiae caussa, ut Plinius animadvertit [2]. Nostris etiam temporibus Ostrearum vivaria maximo ubique emolumento sunt, quum a nullis Ostreae despiciantur. Inibi et Ostreae exiguae, si quas fortasse subducere fors tulit, in gurgitem iterum dejiciuntur, ut adolescant, et in recessibus opportunioribus *seruntur*, quemadmodum vulgo dicitur, ut commodius multiplicari queant. Qui haec omnia penitius cognoscere cupiunt, adeant Opus clarissimi Pennant, cui titulus *British Zoology*, Class. VI, pag. 89.

Mollusca Ostrearum androgyna gaudere natura, haud secus, ac cetera hujus Ordinis, certum est; sapientissimo sane Numinis consilio, quum progrediendi facultate destituantur. Ova igitur genitali humore irrorata (qui tunc temporis longe lateque alluit cunctas Animantis partes), vere, et aestate ineunte e branchiarum loculis ejiciuntur [3], et succo glutinoso, quo irretita videntur, rebus quibuslibet ipsis occurrentibus adhaerescunt. Ostreolae ab ovis exclusae (quod diei naturalis intervallo fieri creditur) aestate procedente insigniter grandescunt [4], et mense Novembri soboli procreandae pares fiunt. At nonnisi quadriennes perfectam magnitudinem attingunt, atque suaves existimantur. In lacu Fusario adhaerent circumcirca palis ex ilice in aquarum fundo defixis, unde facile divelli possunt; at in sinu Tarenti saxis salebrosis submarinis adnascuntur; quo fit, ut conchytae cymbis insistentes, instrumento ferreo peculiari uti debeant, cui *Vranca* nomen est, multumque laborem impendant pro iis arripiendis; ob id maxime, quod lege sancitum est, Ostrearum piscatum nonnisi hiberna tempestate esse absolvendum, ne illarum foetus turbentur sive vere, sive aestate. Immanis ovorum numerus, qui in Ostreariis obtinet prolificationis tempore, ne mente quidem concipi potest. In Mollusco admodum exiguo prope duodecies centena millia contineri deprehendimus [5].

Copiosae Ostrearum carnes in omnibus mensis usitatissimae, crudae a plerisque comeduntur, statim ac e conchis suis extirpantur. Nec desunt (nosque ipsi

---

(1) *Introduct.* Part. II, Cap. III, pag. 42. (2) *Hist. Nat.* Lib. IX, Cap. 54.

(3) Confer Caput VIII Part. II *Introductionis*, pag. 68.

(4) *Introduct.* Part. II, Cap. VIII, pag. 73.

(5) Confer Caput VIII Part. II *Introductionis*, pag. 72.

novimus), qui centenas ante coenam edere possunt sine ullo stomachi detrimento. Quare non miramur, juvenem epulonem a Thuano relatum, centum amplius sine nausea deglutisse. Quibusdam magis arridet eas comedere super igne concoctas, pipere, mica panis, ac petroselino conspersas, et butyro, vel oleo, et citri succo parce irroratas. Sunt, qui illas edere malunt leviter assatas, pultaeque genere involutas, quae farina, butyroque componi solet. Item salsamento peculiari condiuntur ex melle, vel saccharo, et aceto, aromatibusque variis imbuto, ut in cadis commode servari queant. Utcumque eas comederis, jugiter suavissimas invenies.

Carnes Ostrearum, si Plinio hac super re fides est, *stomachum unice reficiunt; fastidiis medentur. Molliunt alvum leviter. Eadem quoque* (Ostrea) *cocta cum mulso, tenesmo, qui sine exulceratione sit, liberant. Vesicarum ulcera quoque repurgant. Cocta in conchis suis uti clausa venerint, mire distillationibus prosunt. Testae Ostrearum cinis vuam sedat, et tonsillas, admixto melle. Eodem modo parotidas, panos, mammarumque duritias: capitum ulcera ex aqua; cutemque mulierum extendit. Inspergitur et ambustis; et dentifricio placet. Pruritibus quoque, et eruptionibus pituitae ex aceto medetur. Crudae si tundantur, strumas sanant, et perniones pedum* [1].

Qui plura desiderat super medica Ostrearum virtute, consulat *Opuscula Subseciva* Basteri, tom. I, lib. II, pag. 72, et Athenaeum lib. III, pag. 92.

Mollusci characteres. Peloris (Vulgaris) pallio ad os cucullato, membrana tendinibus ramosis, limbo fusco; corpore, labiisque albis. *T.XXIX. Fig. 2.*

Inspice Fig. 2 Tab. XXIX.

MOLLVSCI ANATOME.

Etsi Willisius [2], Listerus [3], Argenville [4], Adansonius [5], Basterus [6], aliique praestantissimi Viri, in Mollusci Ostreae Edulis natura investiganda operam navarint, tantum abest, ut munus susceptum absolverint, ut etiam aliorum vestigiis alii insistentes, nonnisi exteriorum partium compagem, ac praecipuorum viscerum formam iconibus satis inconcinnis exhibuerunt. Nos vero, ne eorum disquisitionibus quidem antea conspectis, tali studio, animique contentione Mol-

(1) *Hist. Nat.* Lib. XXXII, Cap. 6.
(2) *De anima Brut.* Cap. III.
(3) *Tab. Anatom.* 15, 16.
(4) *Zoomorph.* pag. 84.
(5) *Coquill. du Sénég.* pag. 189.
(6) *Opusc. Subsec.* Tom. I, Lib. II, pag. 62.

lusci hujus anatomen perquirere conati sumus, ut non modo partium antea cognitarum fabricam adcuratiorem, iconibusque ad vivum expressam exhibuerimus, sed hepatis simul, ventriculique structuram, et mirificum prorsus vasorum sanguiferorum systema, a nullo adhuc investigatum, simus prosequuti. Id si probe praestiterimus, ii sane dijudicabunt, qui illustrium Virorum tentamina sedulo cum nostris conferre maluerint, quae hic more nostro dilucide concinnanda suscipiemus.

Peloridem Vulgarem concha sua eximere oportuit, ad ejus formam, ejusque *T.XXIX.* partes exteriores oculis subjiciendas. Ipsam igitur in tali statu delineatam inspi- *Fig. 2.* cies in Fig. 2 Tab. XXIX. *abc*, *def* sunt ambo pallii lobi; quos inter branchiae *gh* intercedunt. *r* est os labio quadrigemino *s*, *t*, *v*, *x* communitum. GH est musculus adductor, cujus vi valvae comprimuntur.

Pallii limbus geminus cirris subulatis, confertis, exiguis circumseptus, ocellis omnino destitutus, fuscisque maculis variegatus. Interior, vivente adhuc Ani- *Fig. 2.* mante, introrsum revolutus. Uterque ad *i* cum branchiarum apicibus veluti in puncto arcte conjungitur, adeo ut pallii hiatus posterior *fic* tracheam amplissimam mentiri videatur. Pars ejus inferior *amd* in cucullum veluti abit ori tegendo addictum, ut postea dicemus. Membrana universa tendinibus ramosis plurimis, multifariam simul intextis roboratur, quemadmodum de Spondyli Mollusco, at- *Fig. 3.* que Ostreae Jacobaeae supra dictum est. Ipsam e parte postica ad *kkk* in Fig. 3 inspicere juvabit. Adhaeret in ambitu musculo adductori GH, ovato, semilunari, maximo, centrali, binis lacertorum fasciculis arcte simul connatis compacto, quorum alter cinereus, alter vero albescit, ut in Mollusco Spondyli.

Fig. 2. Inter pallii lobos branchiae *gh* continentur, quadrilobae, crassiusculae, fal- *Fig. 3.* catae, cinereae, basi sua simul conjunctae, ut ad *hh* adparet in Fig. 3. Item apicibus suis cum pallii lobis colligantur, ut supra dictum est. Earum fabrica eadem est, ac in ceteris Molluscis subsilientibus [1]: loculos ovis fovendis addictos, hy- *Fig. 7.* drargyro infartos delineavimus inter *a*, et *b* in Fig. 7.

Fig. 2. Imi branchiarum apices labia attingunt quadrigemina *s*, *t*, *v*, *x*, ampla, trigona, hinc transversim striata, inde glabra, ori *r* circumposita. Tegit omnia imum pallium, cuculli speciem veluti effingens. In hac Figura secus *am*, *dm* ipsum amputavimus, quo os, atque labia patefierent.

Fig. 3. Os *r* latiusculum ducit in gulam amplam, at perbrevem, quae deinceps ad *cardiam*, qui est circularis, angustatur. Succedit huic ventriculus *a*, ovatus, cras-

---

(1) Vide Caput III Part. II *Introduct.* pag. 43.

sus, musculosus, hepatis substantia undique convolutus. Pylorus longe amplior cardia, valvulaque circulari praeditus, ducit ad intestinum *b*, quod *duodenum*, ac *jejunum* nuncupares. Hoc in primis satis amplum recta sursum ascendit; at ubi primum summam oram attingit musculi adductoris G H, deorsum reflexum ad *c*, rursus ad latus ventriculi descendit: inibi in orbem fere *d e* circumvolutum in hepatis gremio, abit novissime in rectum *f g*; quod super musculum adductorem G H retrorsum excurrens, inter pallii limbos posteriores desinit nullo ligamento revinctum.

Ventriculum in longitudinem sectum, seorsim repraesentatum cernes in Fig. 5, *T. XXIX.* ubi praeter pylorum *x*, ductuumque biliarium ostia *y*, *z*, *r*, amplam rimam *s* *Fig.* 5. conspicies proxime sub cardia, ducentem ad sinum satis latum, penitusque impervium, ac coecum.

Hepatis fabrica eadem est, ac in reliquis Molluscis subsilientibus. Folliculi, quibus compingitur, sunt maxime exiles, ovatamque formam praeseferunt. Eorum acervum Microscopio adauctum in Fig. 4 exhibuimus. Vasa sanguifera *Fig.* 4. ipsos adeuntia infra demonstrabimus.

Abdomen, de quo hactenus dictum est, nonnisi dissecto Animante manifestum evadit: praecipua ejus pars sub branchiarum basi delitescit, quae utrique orae musculi adductoris adnata, sinum medium admodum patentem relinquit, qui ad os usque exporrigitur.

Ovarium propaginibus fistulosis ramosisque conflatur, ut in ceteris. Hoc non cunctas modo abdominis partes subit, easque circumplectitur, sed gestatione procedente pallii *duplicaturam*, quâ late patet, infarcit. Mense Martio ineunte universum Animantis corpus, ne labiis quidem exceptis, lacteus humor adeo largiter irrorat, ut sacculum lacte completum illud existimares (1). Mense Junio rursus perquisitum ovis omnino perfectis infartum deprehendimus, quae ova subrotundam formam consequuta, Ostream perexiguam, humore pellucido, putamineque membranaceo tenui involutam, Microscopii adminiculo ostendebant. Inspice Fig. 9 Tab. XXIX. De immensa hujusmodi ovorum multitudine juvat con- *Fig.* 9. ferre, quae in Historia hujus Testacei jam supra dicta sunt.

Est inter basim abdominis, et falcatam musculi adductoris partem, cavitas subovata satis angusta, ubi cor *i* auriculis *s* instructum delitescit. Est illud uni- *Fig.* 3. loculare, ovato-oblongum, depressumque, magnitudine seminis cucurbitae, lacertis musculosis omnimode implexis roboratum, et maxime irritabile; licet

(1) Confer Cap. VIII Part. II *Introduct.*, pag. 68.

enim pericardio suo omnino denudatum, valva altera in primis mordicus divulsa, ab hora septima matutina usque ad quartam post meridiem strenue pulsavit. In contractione, seu *systole*, ambo sui apices se se mutuo petebant, totum cor alte turgescebat, et ovi formam consequebatur; in relaxatione vero, sive *diastole*, partes omnes deprimebantur, et seminis cucurbitae formam rursus accipiebant. Auriculae extra modum exiles, coloreque saturo fusco imbutae, binis insident veluti fistulis muscularibus disjunctis, parallelis, e summa cordis regione prodeuntibus; deinceps simul coalescentes, saccum amplum subtetragonum *s* efficiunt, summa sui parte musculo adductori adhaerentem.

T.XXIX. *Fig. 7, 8.* Ad circulationis systema probe intelligendum, et Figuram 7, et Figuram 8 (quae postrema easdem partes exprimit Microscopio adauctas, iisdemque litteris notatas), conspicere simul oportet. E summo igitur sacculo auriculari *bb* geminae venae majores *e*, *e* in primis erumpunt, quarum singulae in ternos ramos *i*, *r*, *s*; *i*, *r*, *s*, per paria dividuntur. Primores ex his *i*, *i* brevi cursu facto coëunt ad *f*, influuntque in truncum venosum *uf*, qui secus branchiarum axim excurrens, in surculos pectinatos hinc inde dispertitur, ut mox demonstrabimus. Reliqui trunci *r*, *r*, *s*, *s*, branchiarum lobos, qui sibi respondent, subeuntes, et secus imos eorumdem limbos decurrentes, pari ratione, ac medius *f*, canalibus venosis *hh*, *gg*, *pp*, *qq* illabuntur. Hujusmodi vasorum compages in hac Figura, per- *Fig. 7.*
inde ac in Fig. 6, paullo explicata, atque hydrargyro completa exhibetur. *Fig. 6.*

Fig. 6. Quatuor ex canalibus venosis *ac*, *ac*; *ab*, *ab*, quos in Fig. 7 hactenus conspeximus, quosque secus basim loborum branchialium decurrere innuimus, propagines ramosas pectinatim hinc inde erumpentes, singulis lobis sibi respondentibus usitato more largiuntur. Harum seriem alteram membranis branchialibus penitus denudatam, hydrargyroque completam, inter *a*, et g intueberis; reliquas lobis ipsis adhuc adhaerentes, inter *a* et *s*; *a* et *x*; *a* et *y*; *a* et *z*, et sic porro usque ad branchiarum fines, cernere licet. Extimi porro istiusmodi canales *ab*, *ab*, praeter propagines istas, ramulos innumeros *r*, *t*, *v*, aliosque hujus generis multifariam implexos, pallii membranae distribuunt, qui illam longe lateque decorant, ut in Figura expressimus. Mirificam horum fabricam, atque elegantiam nonnisi per hydrargyrum diligentissime injectum conspicere datum est. Illam deinceps etiam in statu naturali, per lentem vitream iterum iterumque perlustravimus.

Fig. 6. Medius porro truncus venosus *afd*, axim branchiarum legens, ut supra dictum est, ceterisque praestantior, surculos laterales 1 *i*, 2*u*, 3*p*; *i*4, *u*5, *p*6, et sic porro, in primis edit; qui truncos medios e regione sitos *ac*, *ac* superscan-

dentes, extimos attingunt *ab*, *ab*, inque illos influunt. Praeterea musculi adductoris viam petens, ubi primum cordis regionem attingit, ramum edit *f*, in plures alios abeuntem, quorum *h* super faciem musculi praedicti late distribuitur; *k* vero deorsum pergens, et in surculos minores subdivisus, abdomen subit. Superiores denique *e*, *e* sursum vergentes, summos intestinorum flexus propaginibus suis complectuntur; indeque ulterius prolati, musculum adductorem petunt, eique prospiciunt. Ramus *m* inferius erumpens, et crassitudine insignis, abdominis cavitatem pariter subit, ac propagines suas tum ventriculo, tum partibus illi adjacentibus liberaliter largitur. Novissimus denique *n* paullo inferius exertus, hepar obtinet praecipue, perinde ac illi, qui ex *d* proferuntur: utrique porro ad universas ovarii propagines surculos innumeros praebent, quemadmodum ad *ll* partim ostenditur. Hoc idem praestant simul canales laterales, sicuti ad *kzv* *T. XXIX.*
in Fig. 7 cernere est. *Fig. 7.*

Ex his omnibus facile est intelligere, humorem sanguineum a singulis Mollusci partibus reducem, per vasa branchialia in truncos venosos *e*, *e*; ex his vero in cordis auriculas *b*, *b* praeterlabi, indeque in cor A. Cordis contractione de- *Fig. 7.*
inceps superveniente, humor ille in arteriam *dm* propellitur, ex ima cordis regione prodeuntem; perque ejus ramos *n*, *o*, *x*, *y*, propaginesque innumeras, quae ex illis oriuntur, per universas corporis partes longe lateque distribuitur. Propagines hasce in Figura omisimus, quod a fibris musculi centralis, quem in primis subeunt, valide perstrictae, hydrargyro in aortam injecto imperviae fiunt.

OSTREA CRISTATA.

Ital. *Ostrica Crestuta*. Neapol. *Ostrichella*. Germ. Die Kammauster.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. CIV, Fig. F.
Born *Test. Mus. Vindob.* Tab. VII, Fig. 3.

Testae characteres. Testa ovata, vel rotundata, inaequivalvis, margine plica- *Tabula*
to, ad latera dentato; altero cardinis apice exerto. *XXVIII*
Fig. 25.

Testae descriptio. Concha ovata, vel orbiculata, valvis inaequalibus, exigua. Fornix gibbosus, crassus, lamellis laceris, atque inconcinnis exasperatur. Umbonis apex, qui ex fornice prodit, insigniter extrorsum protenditur ad similitudinem Spondyli Gaideropi. Operculum tenuius, lamellosum, ut plurimum explanatum; apex brevissimus. Valvae utriusque margines plicato-repandi, in genere elegantissimi: operculum vero secus latera usque ad cardinem denticulis minimis, densatis, ac seriatim digestis instruitur, qui in totidem scrobiculos in fornice in-

sculptos inseruntur. Color valvarum cinereus, maculis saturis violaceis variegatus. Intus albescunt.

Tabula XXVIII Fig. 26, 27. Ostrea haec cum in forma, tum in ceteris valvarum adfectionibus, plures patitur varietates, quarum elegantissimam in Fig. 26, et 27 Tab. XXVIII, scilicet a parte fornicis, et operculi, delineandam curavimus. Jugiter tamen characteres specifici immutati inveniuntur; nimirum apex alter porrectus, denticulique laterales in margine.

Historia. Ostreae Cristatae apud nos ubique obviae, Ostrearum Edulium defectum, maxime verna aestivaque tempestate, mire supplent. Ad quinas, vel senas, Spondylorum valvis impositae, eadem prorsus ratione, ac Ostreae Edules, mensis apponuntur. Longe tamen abest, ut parem suavitatem, atque magnitudinem obtineant, quamvis iisdem in locis vivere consuescant.

Mirum sane inter Animantem Ostreae hujus, atque Edulis nullum discrimen invenire nos potuisse, licet ipsum impigre perscrutandum susceperimus. Aliunde certum est, illum ad magnitudinem Ostreae Edulis numquam excrescere.

Pallium hujus Testacei, quum lente acuta ipsum perlustraremus, occasionem nobis praebuit detegendi, lacteo humori per vasa lactifera praetervecto, brevi tempore lympham tenuissimam subrepsisse [1].

OSTREA DENTICVLATA.

Ital. *Ostrica Dentellata*. Germ. Die gezähnlete Auster.

Born *Test. Mus. Vindob.* Tab. VI, Fig. 9, 10.

Testae characteres. Testa subrotunda, inaequivalvis, depressiuscula, fornice parasitico; margine denticulato; apicibus brevibus.

Testae descriptio. Concha ut plurimum rotundata, vel irregulariter ovata, depressiuscula, tenuis, inaequivalvis. Fornix explanatus tota basi sua navigiorum carinis firmiter adligatur: margo partim dumtaxat sursum revolutus, et incondite plicatus. Secus latera usque ad cardinem scrobiculis per series digestis instruitur pro denticulis operculi excipiendis, ut in Ostrea Cristata. Operculum minus latum, squamulosum, ut plurimum gibbum. Apices brevissimi. Concha extrinsecus atro-violacea, vel maculis hujusce coloris hic illic virgata; intus albescit, vel argenteo splendore nitet.

Quum Tabulae nostrae essent jam insculptae dum Ostreas hasce conquisivimus, earum imaginem hic exhibere non potuimus. Itaque ad Opus supra laudatum clarissimi Born Lectores amandamus, ubi ad vivum expressa invenietur.

(1) Vide Caput III Part. II *Introductionis*, pag. 40.

Historia. Ostreas, de quibus agitur, navigiorum carinis, *Haliotidibus Tuberculatis, Pinnisque Rudibus* communiter adfixas invenimus, aliasque aliis gregatim incumbentes, ea tamen ratione, ut vel unam Ostream maximae amplitudinis efficere viderentur; vel pyramidis imaginem referrent, propter aliarum fornicem suppositarum Ostrearum operculis adhaerentem.

Molluscum in ipsis reconditum est Peloris Vulgaris, quam Ostream Edulem inhabitare demonstravimus. Attamen ejus carnes propter insignem austeritatem sunt satis injucundae. Quod sane alimentorum generi, quibus Animantia haec, in locis ubi degunt, vesci solent, tribuendum esse existimamus.

OSTREA COCHLEAR.

Ital. *Ostrica a cucchiajo*. Neapol. *Ostreca di fango*.

Testae characteres. Concha semiovata, cochlearis instar excavata, squamosa, rudis, operculo tenuissimo; apice subspirali. *Tabula XXVIII Fig. 28.*

Testae descriptio. Concha semiovata, et cochlearis instar profunde excavata, inaequivalvis, rudis. Dextera valva, seu fornix, veluti ovum gibbosa, laevis, interdum annotinis appositionibus exasperata, plicisque latis leviter inflexa, operculo suo crassior est. Hoc maxime concavum fornicis cavitatem fere attingit, ob insignem Animantis gracilitatem. Utraque valva ad discum solidiuscula. Margines ultra modum tenuissimi, vitream transparentiam, ac fragilitatem nacti, facillime diffringuntur; ideoque rarissime inviolati deprehenduntur. Operculi margo plerumque fissus in ambitu invenitur, quum ita sit natura comparatus; ejusque discus saepe squamosus: apex prope spiralis. Fornix roseo diluto colore ut plurimum nitet; interdum albescit. Operculum albidum, quandoque radiis roseis, vel fuscis, leviter condecoratur.

Fig. 28 Tab. XXVIII exiguum exhibet hujusmodi concharum gregem trunco Antipatae Spiralis insidentem; scilicet A, et B a parte operculi, C a parte fornicis: D postremo fornicis ipsius cavitatem repraesentat. *Fig. 28.*

Historia. Testaceum hoc, cujus nulla mentio apud Auctores occurrit, altum incolit aequor, ubi aquae ad vicenos circiter pedes adsurgunt. Inibi limoso gaudet solo, unde luto obrutum jugiter subducitur vel piscatorum retibus implexum, vel magnis hamis, quibus ad pisces eximiae molis captandos utuntur, forte apprehensum. Saxis, Lithophytis, Testaceisve variis, perinde ac ceterae Ostreae rudes, catervatim adfigitur.

Mollusci characteres. Peloris (Gracilis) pallii limbo duplici cirrato; ejusque membrana tendinibus ramosis destituta; tota corporis compage gracilissima.

Praeter gracilitatem summam totius Animantis, ac tendinum ramosorum defectum in membrana pallii, quibus Peloridem Vulgarem roboratam esse demonstravimus, nullum insigne discrimen inter duos hosce Animantes detegere potuimus, ut ex modo dicendis patefiet. Illa tamen ad specierum differentiam constituendam satis esse arbitramur.

MOLLVSCI ANATOME.

Maxima difficultas obtinendi hujusmodi conchas Animantibus suis instructas; atque insignis, qua illa gaudent, gracilitas in tota fere ipsorum compage, singulas eorum partes more nostro perlustrare prohibuerunt. Quae lentis auxilio perspicere datum est, sequentibus verbis complectemur; ex quibus tamen spectabilem Animantis hujus analogiam cum Peloride Vulgari confidenter statui posse arbitramur.

Pallium tenuissimum, et veluti arachnoidaeum, ad os cucullatum, limbo duplici cirrato, fuscis, flavisque maculis consperso, ut in Peloride Vulgari; membrana tendinibus ramosis destituta.

Abdomen haud patens: pes nullus.

Branchiae quadrilobae, basi conjunctae, crassae, plicis latis, maximam Animantis molem constituentes.

Os imum labiis crassis instructum coloris miniacei, transversim striatis, trigonis.

Intestinorum flexus idem esse visus est, ac in Peloride Vulgari. Hepar amplum, viridescens, folliculis ovatis compactum.

Ovarium amplum, ramosum, turgidum mense Aprili, colorem miniaceum praeseferens. Ex eo dissecto ovula erumpebant, quae per lentem vitream manifestissime conspiciebantur.

GENVS XII.

ANOMIA.

Ital. *Anomia*. Gall. *Anomie*. Germ. Die Bastard-muschel.

Belg. *Anomie*. Angl. *Anomia*. Dan. Vorskiället.

Generis characteres. Testa inaequivalvis; valvula altera planiuscula, altera basi magis gibba; harum altera saepe basi perforata. Cardo edentulus cicatricula lineari prominente introrsum, dente laterali. Radii duo ossei pro basi Animalis.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1150.

Generis descriptio. In tanta concharum bivalvium varietate quaedam inesse deprehenduntur, quae valvis dissimilibus compactae, nullos ad cardinem dentes habent, sed cicatricula gaudent ut plurimum elliptica, cujus extremitates instar denticulorum exilium veluti prominent. Insuper in ejusdem valvae cavitate duo insunt interdum radii ossei, vel apophyses testaceae ad fellae formam accedentes, cui Mollusci corpus partim adligatur, ut in Fig. 16 Tab. XXX. Valvarum altera magis explanata, atque tenuior, apophysim cardinalem gerit, malleoli formam referentem, qui in cicatriculam praedictam insertus, per ligamentum firmissimum valvae alteri adhaeret: praeterea rima subrotunda prope cardinem ut plurimum insignitur, quam tendo subit, cujus adminiculo Molluscum concha circumclusum, ossiculo peculiari, ac deinde saxis, marinis stirpibus, navigiorum carinis, Testaceisve omnigenis adfigitur. Interdum aliae super alias aggestae, simulque complicatae, varias exprimunt ludentis Naturae formas. Sunt tamen, quae parasitica natura carentes, plerarumque concharum ritu libere in mari vivere consuescunt. Testas hasce, quas *Anomoeas* rectius dixissent, *Anomias* Ostracologi nuncuparunt; idque ob valvarum dissimilitudinem, ut antea dictum est; graeca etenim vox *ανομοιος*, *dissimilis* latine sonat. Sunt ipsae ut plurimum tenues, multifariam, eleganterque crispatae, atque intrinsecus argenteo, aureo, vel purpureo nitore refulgentes. Quaedam magnitudine praestantes, sunt adeo explanatae, atque pellucidae, ut in fenestris apud Chinenses pro vitris usurpentur. Immanis profecto earum copia in montium terrarumque sinu quaquaversum congesta invenitur; eaeque vel fossiles, vel lapideam naturam adeptae, vel in crystallos, silices, aliasque diversae indolis substantias immutatae. Perlustrantibus nobis percuriose Helvetiae regiones, tam ingens se se obtulit Anomiarum congeries in lapideam substantiam conversa, atque amplissimis marnae cumulis obvoluta, ut vel ex uno colle, Monti Jurae proxime objecto, tot tantaeque expromi possent, quantae ad navigium cumulate onerandum satis forent. Equidem hoc est omnium admirabilissimum, in tanta illarum varietate nonnullas expromi, quas adhuc vivas recentesque nullo in mari terrarum orbem circumfluente, umquam nostro aevo conquirere licet, vel quia in pelagi fundo veluti tumulatae nullo pacto hominum industria attingi queunt; vel propterea quod in luctuosa gentium clade, universaque terrarum subversione, hujusmodi species interierint, quemadmodum stirpibus nonnullis eadem simul tempestate accidisse videtur.

T.XXX. Fig. 16.

Quantum ex diuturnis nostris observationibus colligere licet, duplex Molluscorum genus Anomiis coërcetur; quorum alterum ad Echionem referimus in Methodo nostra zoologica, alterum ad Crìopum. Et quamvis essentiales utriusque

characteres Cap. II Part. II *Introductionis*, pag. 34, simul cum ceteris tradiderimus, hic modo iterum referre operae pretium judicamus.

ECHION. *Trachea nulla.*

Abdomen ovato-compressum: pes nullus.

Branchiae disjunctae.

Musculus perforans testam, adfixus denticulo osseo radicanti.

CRIOPVS. *Trachea nulla: pes nullus.*

Branchiae veluti cornua arietis in spiralem formam contortae.

Nominum rationem, et Familiam, cui Vermes isti adscribuntur, in nostra *Introductione* loco supra citato relatam invenies.

Varias Anomiae species, quae apud nos occurrunt, una cum earum historia hic recensere adgrediemur; easque perspicuitatis gratia in geminas sectiones dividemus; scilicet

I. In Anomias cicatricula ad cardinem instructas.

II. In Anomias apophysi prominula pro basi Animalis.

* Anomiae cicatricula ad cardinem instructae.

ANOMIA CAEPA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1151.

Ital. *Anomia Persichina*. Neapol. *Ostreca femmina*.

Germ. Die Zwibelschale. Belg. *Paarsche Bernsteen-Oister*.

T. XXX. Fig. 8. *Testae characteres*. Testa subrotunda, inaequivalvis, tenuis, valva altera rugosa, amethystina; altera fragilissima, perforata, parasitica.

Testae descriptio. Testa ut plurimum prope orbiculata, inaequivalvis, depressiuscula. Valva altera gibbosa, pellucida, fragilis, praesertim secus marginem, intrinsecus colore amethystino, interdum aureo, laete coruscat; extrinsecus rugosa, vel radiis inconditis, ac interruptis exasperata, haud nitet. Valva opposita explanata, fere squamulosa, albescens, ac ultra modum tenuis, tam fragilis est, praecipue in ambitu, ut vitri instar, cujus transparentiam aemulatur, facillime diffringatur, et aegre inviolata servari queat. Prope cardinis plagam rima gaudet ampla, ac rotundata, ad cujus oram testa crassior est, ac longe firmior. Per hoc orificium ossiculus exeritur Mollusco adnatus, ut infra declarabimus. Valva haec quâ alteri adligatur, apophysim veluti profert mallei formam quadantenus referentem.

Fig. 8 Tab. XXX concham patulam repraesentat. A B est valva gibba amethystina; *S S* valva plana parasitica; *u* ejus rima; *i* denique apophysis, qua valvae alterius cardini adfigitur. Ossiculum, cui Molluscum per musculum adhaeret, in Fig. 5 cernere est. Ejus usum, atque adfectiones, in Mollusci Anatome infra recensebimus. *T.XXX. Fig. 8. Fig. 5.*

Historia. Anomiae istae ubique vulgatissimae, navigiis, lignis, suberibus, rudentibus, praesertim ex vegetabilibus compactis, saxis, marinis stirpibus Testaceisque omnigenis valva altera adglutinantur, ut supra dictum est; quo fit, ut earum forma (interdum et qualitates), pro diversa rerum superficie, cui incumbunt, insigniter variare videatur. Frequentissime in acervos coactae, basi sua aliarum operculis adnascuntur, aliae aliis aggestae. Foetus editi, aestate ineunte crescunt quam citissime, ut alibi declaravimus [1]. Raro apud nos magnitudinem implent, quam in Fig. 8 expressimus. Interdum autem duplo majores invenimus. Hasce dumtaxat edunt Conchytae, dum ipsas conquirunt: ceterae, ob insignem carnis inopiam, a cunctis negliguntur. *Fig. 8.*

Mollusci characteres. Echion (Versicolor) pallii limbo cirris subulatis, confertis, tessulis atris flavisque alternatim notato. Inspice Fig. 1 Tab. XXX. *Fig. 1.*

Versicolorem dicimus ob colorum varietatem, quibus sui corporis partes imbutae conspiciuntur.

MOLLVSCI ANATOME.

Qui Echionem Versicolorem concha sua adhuc circumseptum intueri cupit, adeat quaeso Fig. 1 Tab. XXX. *a b c d* pallium exprimit valvis A B, C D adnatum; *e e*, *e e* branchias. *i* est musculus adductor magnus, quo valvae colligantur; *f* abdomen; *s* cor; *n* denique rectum intestinum e cordis cavitate, ut videtur, emersum. *Fig. 1.*

Pallii limbus *a b c d* atris, flavisque tessulis alternatim distinguitur; cirrisque longis, subulatis, confertis, in ambitu exornatur. Musculus pallii orbicularis *o o*, *r r* latitudine praestans. Branchiae *e e*, *e e*, semilunatae, rubentes, graciles, disjunctae, adnascuntur utrinque membranae tendineae formam trigonam praeseferenti, ut de Mollusco Spondyli, ac Ostreae Jacobeae jam supra dictum est; cujus deinceps adminiculo pallii lobis, musculoque adductori in ambitu adhaerescunt. Sunt ipsae breves; siquidem nonnisi dimidiam Mollusci latitudinem attingunt, versus oris regionem sensim attenuatae.

---

(1) Part. II *Introductionis* Cap. VIII, pag. 73.

Abdomen *f* exiguum, ovato-compressum, vere, atque aestate ineunte ovis onustum. Ovarium, quo ista coërcentur, inter geminas pallii membranas longe lateque prolatum, adeo illas turgescere facit, ut binos sacculos ovis infartos easdem existimares. Ovarium hoc mense Martio, Julioque, miniaceo prope colore nitebat; superque ipsum plurimae vasculorum propagines, vel nigricantes, vel purpureae, in ramos quaquaversum abeuntes, perreptabant, ut ad *x*, *x* cernere
T. XXX. est; vel, si mavis, ad *yy* in Fig. 2, ubi valva plana mordicus ademta, pallium in-
Fig. 1, 2. violatum, cum Mollusci corpore sibi subjecto, ad vivum repraesentavimus.

Hepar ovario proxime subjectum, folliculis viridescentibus, interdum etiam fuscis, compingitur. Per abdominis tegumenta intestinorum flexus translucent.
Fig. 1. Rectum denique *n* satis crassum, atque amplum, fuscoque colore conspicuum, ex abdomine emersum cordis cavitatem pertransire visum est, quemadmodum de ceteris demonstravimus; nulloque ligamento revinctum desinit inter lobos branchiarum.

Fig. 1. Cor *s*, quod modo commemoravimus, musculo adductori majori *i* superincumbit, eique cum basi sua adhaerescit. Est ipsum satis amplum pro corpore Animantis, ac prope pendulum. Ejus forma ovalis, colorque ex fusco rubens. Sanguine turgidum jugiter adparet, levique stimulo percitum strenuis contractionibus agitur, formamque mutat. Numquam mehercule mirari desinemus. Naturam et branchias, et ovarium in cunctis hujusmodi Molluscis, in hoc vero etiam cor, adeo nuda, atque detecta reliquisse, ut et iteratis arenae ictibus, et jugi aquarum collisui obnoxia sint.

Viscus minimum, subovatum, lacteoque veluti humore repletum, tendini postico musculi adductoris *i*, infra describendo, superincumbit, eique adligatur. Viscus testaceum esse situs, atque analogia suadent.

Anticae musculi hujus regioni cisterna lactea, ceu papilla quaedam oblonga, inesse conspicitur. Adeunt ipsam in ambitu surculi tergemini vasorum lactiferorum; quorum bini anteriores in plures propagines divisi, utrumque pallii lobum, medii branchias petunt, iisque prospiciunt. Reliqui duo posteriores, musculi prope oram recta circumeuntes, ad regionem pallii oppositam tendunt, sicuti in ceteris fieri solet. Vasa haec universa lacteo humore turgescere jugiter invenimus.

Totum Animal musculis valvarum adductoribus circumundipue adnascitur.
Fig. 8. Horum alter *o* teres, exiliorque, qui *lateralis* jure dici posset, ambabus valvis de more adhaerescit. Alter vero *x* longe torosior, maximus, centralis, pluribusque lacertis compactus, ossiculo adfigitur cautibus adligato, ut mox declarabi-

mus. Musculus hic *quadricipitis* denominationem recte meretur; etenim cum altero sui capite *x* valvae gibbae centro adhaeret, cum altero vero *y* ossiculo cuidam peculiari, ut nuper innuimus: et quoniam e ventre hujus musculi bini alii tendines *z*, *v* producuntur, ille margini postico valvae praedictae prope cardinem adfigitur, hic autem haud procul a margine antico ei adhaerescit. Item e postico *z* musculus alter *s* tenuissimus, et quodammodo pileatus exsurgit, quem conchae operculo, seu valvae planae, adligari autumamus.

His relatis, ad ossiculum redeamus, quem nuper innuimus. Ossiculum istum *T. XXX.*
ad naturam delineatum in Fig. 5, longe vero adauctum cernes in Fig. 6. Formam *Fig. 5, 6.*
radicis exterioris *bb*, qua cautibus, Testaceis omnigenis, aliisque marinis rebus adfigitur validissime, insignibus varietatibus obnoxiam esse deprehendimus; jugiter tamen totus ossiculus organicam sui structuram luculenter ostendit; innumeris enim sinubus, rimisque diversae formae, et magnitudinis undique abundat, in quae vascula multiplicia e corpore Animalis prodeuntia, alte immittuntur. Praeterea ejus apophysis in plures laminas osseas secedit *aa*, *cc*, *ee*, etc. in summitate tendineas, seu potius cartilagineas, quae in totidem sinus, sive scrobiculos (Fig. 7) *f*, *g*, *h*, in summo capite musculi adductoris centralis veluti insculptos, alte infiguntur, iisque mordicus adhaerent. *Fig. 7.*
Sinus hi, et universa musculi facies *mn* vasculis plurimis reticulatis, tenuissimis, ac miniaceo colore splendentibus, longe lateque decorantur, quemadmodum in eadem Figura 7 indicavimus. Caput hoc musculosum pallii membranam sibi respondentem veluti perforat, quemadmodum ad *s* in Fig. 2. Contra ossiculus praedictus cautibus adligatus, *Fig. 2.*
per rimam *u* (Fig. 8) valvae planae *SS* in concham partim intrusus, tendini il- *Fig. 8.*
li, seu *y*, modo nuper explicato adhaerescit. Hac igitur ratione tota concha compressa, sive cum cautibus, sive cum Testaceis, sive cum aliis quibuslibet substantiis, strenue connectitur. Quo factum est, ut quidam Scriptores, haud injuria fortasse, conchas hujusmodi inter multivalves adnumerandas esse existimaverint.

Antequam Echionis Versicoloris illustrationem absolvamus, praestat animadvertere, in eorum plurimis a nobis perquisitis cancellum minimum inter pallii lobos delitescentem deprehendisse, quem e natura delineatum cernes in Fig. 3. *Fig. 3.*
Eumdem rursus in Fig. 4 ad Microscopium exhibuimus, ut ejus forma, atque ad- *Fig. 4.*
fectiones luculentissime paterent. Formosus prae ceteris esse visus est, praesertim ob colorum nitorem, ac regularem illorum dispositionem supra dorsum. Characteres specificos hos esse constituimus.

Cancer (Domesticus) brachyurus thorace rotundato, laevi, integerrimo, maculis sinuosis miniaceis, ocellisque concoloribus distincto; pedibus subtus barbatis, chelis exiguis.

Domesticum nuncupavimus, quia in concha receptus, inibi veluti in domicilio vitam degit.

ANOMIA EPHIPPIVM.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1150.

Ital. *Anomia Argentina.* Neapol. *Ostreca femmena.*

Gall. *Pelure d'Oignon, verte.* Germ. Die Klebauster. Belg. *Poolsche Zadel.*

Angl. *The larger Anomia; The green Oinion rind Anomia.*

Bonann. *Recreat.* Class. II, Fig. 56.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCIV, Fig. 38.

Argenville *Conch.* Tab. XIX, Fig. C.

Pennant *Brit. Zool.* Tab. LXII, Fig. 70.

T. XXX. *Testae characteres.* Testa semiorbiculata, vel semiovata, rudis, valva altera pli-
Fig. 9, 10. cata, crassa, valde gibba, intus argentea; altera tenui, striato-lamellosa, perforata.

Testae descriptio. Testa adeo gibba, ut orbiculi, vel ovi dimidium saepe repraesentet. Valva altera gibbosa, crassa, rudiuscula, interdum plicis latis undosis, interdum radiis scabris rudibusque instructa, colore ex argenteo viridescenti intrinsecus nitet. Ad cardinem cicatricula inest elliptica. Valva opposita ut plurimum explanata, tenuissima, diaphana, viridescens, squamulis plurimis lamellatim digestis compingitur, atque ad cardinem rima ovata patula insignitur. Oram rimae posticam efficit apophysis testacea, crassiuscula, firma, mallei formam referens, quae, ligamento interposito, cicatriculae alterius valvae adligatur.

Quo haec omnia plane paterent, concham valvis patulis delineavimus in
Fig. 10. Fig. 10 Tab. XXX. Inibi AB est valva gibba, cicatricula *c* insignita; CD est altera valva, tenuis, atque explanata, rima ovata *x*, ac apophysi malleiformi *y* distincta. *a*, *m*, *n*, *o*, *o*, sunt impressiones musculorum adductorum, quibus valvae
Fig. 9. comprimuntur. Fig. 9 eamdem concham exhibet valvis compressis.

Historia. Anomia Ephippium idem Molluscum, ac Anomia Caepa in se recondit, eademque prorsus loca colit, una cum illa promiscue vivens.

ANOMIA MARGARITACEA.

Ital. *Anomia a color di perla.*

Fig. 11. *Testae characteres.* Testa rotundata, depressa, subaurita, laevis, margaritacea, integerrima; valva altera apice conico prope cardinem, altera perforata.

Testae descriptio. Concha fere rotundata, auriculisque obsoletis ad cardinem veluti insignita, maxime depressa, tenuis. Valva altera laevis, atque integerrima,

apicem exiguum conicum exerit haud procul a cardine. Altera tenuissima rimam habet ovatam pro musculi extrusione, qui ossiculo radicanti adfigitur, ut de ceteris dictum est. Valva haec ob sui exilitatem, et ob arctam adhaesionem cum marinis substantiis, quibus innascitur, nullo pacto ab iis divelli potest. Tota concha margaritaceo colore nitet, purpureisque coruscationibus pro diverso luminis appulsu insigniter refulget.

Historia. Insolenter apud nos occurrit; earumque unam vel alteram invenimus Buccino Galeae adhaerentem. Molluscum impigre perquisitum idem prorsus visum est, ac in Ostrea Caepa, quod supra recensuimus.

ANOMIA SVLCATA.

Ital. *Anomia a solchi.*

Testae characteres. Testa subrotunda, tenuis, umbonata, integerrima, in longum sulcata; valva altera convexa, apice brevi ad cardinem; altera perforata, plana. *T. XXX. Fig.* 12.

Testae descriptio. Concha fere orbiculata, fragilis, gibbosa. Valva altera, quae convexa est, sulcis in longum discriminatur, umboneque gaudet elato, modiceque exerto usque ad cardinem. Margo integerrimus. Valva inferior parasitica, explanata, fragilissima, rimam ovatam prope cardinem habet, ossiculo radicanti respondentem. Illa flavescit, haec albo colore nitet.

Historia. Cum ceteris Anomiis, quas adhuc recensuimus, praecipue vero cum Caepa, atque Squamula, de qua infra disseremus, gregatim vivit, eodem prorsus Animante instructa.

ANOMIA PECTINIFORMIS.

Ital. *Anomia a foggia di Pettine*.

Testae characteres. Testa ovato-retusa, depressa, sulcis longitudinalibus abbreviatis, ambitu repando; valva altera perforata. *Fig.* 13.

Testae descriptio. Testa oblonga, depressa, antice rotundata, ad cardinem veluti secta, prope rectangula, ac veluti aurita, Ostreae pectinis formam refert. Valvam alteram radii elati teretes in longum discriminant, qui a disco ad ambitum protenduntur; reliqua valvae pars usque ad cardinem laevis est. Valva inferior tenuior, parasitica, prope cardinem perforata. Utriusque ambitus repandus, ac veluti crenatus. Tota concha ex albido flavescit [1].

---

(1) Anomiam hanc, aeque ac binas praecedentes, a nullo Auctore descriptas invenimus.

Historia. Licet rarius, quam ceterae occurrat, cum illis tamen hospitatur, eumdem Animantem tegens.

ANOMIA SQVAMVLA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1151.

Ital. *Anomia a foggia di scaglia*.

T. XXX. *Testae characteres*. Testa orbiculata, transversim tenuissime striata, nitida;
Fig. 18. prope cardinem elata, atque umbonata, ambitu integerrimo.

Testae descriptio. Testa orbiculata, exigua, striis exilissimis in transversum distincta, nitida, et adeo diaphana, ut per valvas Animal inclusum quodammodo transpareat. Valva altera in ambitu depressa, prope cardinem modice elata, exiguum umbonem habet. Valva opposita tenuissima, atque parasitica, rima subovata, ut in reliquis, perforatur. Color utriusque valvae, quae piscium squamis maxime adsimilantur, ad argenteum accedit.

Historia. Testaceum hoc, ubique frequentissimum, simul cum congeneribus
Fig. 18. catervatim provenit, raro magnitudinem attingens, quam in Fig. 18 T. XXX deli-
Fig. 15. neatam cernes. Alterum Madreporae Rameae (quam exprimit Fig. 15) adligatum, ad *a* delineari curavimus. Huic Madreporae alias quoque Anomiae species, quas mox recensebimus, Milleporas Cellulosas *f*, *g*, et Reticulatam *h* adfixas invenimus. Madreporae Rameae eximia pulchritudo, dum ab aequore subducitur, verbis exprimi non potest; etenim cunctos ejus ramos ad certam usque altitudinem, puta ab *x* ad *z*, membrana veluti crocea, striata, venusta, mollis, nitidissima, a polyporum familia inibi hospitante, derivata, usquequaque obvelat; quae deinceps, illis exanimatis, atque labefactatis, ex fusco nigricans, et lurida evadit.

MOLLVSCI ANATOME.

Molluscum, quod Anomia Squamula in se recondit, licet impigre perquisitum, idem esse visum est, ac Echion Versicolor, cujus anatomen in Articulo Anomiae Caepae fuse recensuimus. Unicum discrimen in eo consistere comperimus, quod scilicet musculus perforans valvam inferiorem non adhaeret ossiculo testaceo, sicuti de ceteris hucusque enumeratis dictum est, sed stipiti veluti corneo, at-
Fig. 14. que virescenti ovato-falcato, quem in Fig. 14 Microscopio adauximus. Stipes iste haud aliter, quam ossiculus, variis rebus marinis adglutinatur. Dum Vermem istum perlustravimus, hepar ex folliculis minimis ovatis de more compactum, et ovarium coloris miniacei illi superstratum, ea ratione per Microscopium adpa-

ruere, quam ostendimus in Fig. 20. Ova aliquot pedunculata longe adaucta, in Fig. 19 expressimus. *T. XXX. Fig. 20, 19.*

ANOMIA TVRBINATA.

Ital. *Anomia Conica*. Dan. Haar-Kröllen.

Müller *Zool. Dan.* Tab. V, Fig. 2, 6.

Testae characteres. Testa conica, transversim striata, integerrima; valva altera subrotunda, parasitica, crassa, imperforata. *Fig. 15, c.*

Testae descriptio. Testa inaequivalvis, exigua, patelliformis. Valva altera conum rectum transversim striatum apice acuminato aemulatur, intus laevem, extrinsecus rudiusculum, margineque integerrimo. Altera fere rotundata, atque explanata, est maxime crassa, et tam arcte rebus marinis adhaeret, ut nullo pacto, vel nonnisi aegre, ab illis divelli queat. Facies superior paullo gibba apophysibus variis vix prominentibus gaudet, at rima nulla. Valva haec osseam veluti indolem gerit: altera longe tenuior, ac intus ex albido caerulea, extrinsecus colore saturo fulvo illinitur.

Historia. Concha haec Madreporae Rameae, de qua supra dictum est, vel lapidibus in illius vicinia degentibus, adglutinata invenitur, quemadmodum in Fig. 15 Tab. XXX ad *c* conspicere est. Ad *d* valvam parasiticam repraesentavimus, sicuti adparet quando altera, quam ad *e* delapsam, atque inversam supponimus, ab ipsa divellitur. Haec eadem valva insigniter amplificata, ut et puncta innumera, et apophyses, quibus gaudet, et Mollusci impressiones in ipsa relictae adparerent, in Fig. 21 exhibetur. *Fig. 15.* *Fig. 21.*

Miramur equidem oculatissimum Müllerum, qui concham istam pluries perquisivit, saxis, Testaceisque adfixam, eamque iconibus expressit in suae *Zoologiae Danicae* Vol. I, Tab. V, valvam parasiticam numquam conspexisse. Quo factum est, ut illam inter Testacea univalvia adnumeraverit, ac *Patellae Anomalae* nomen tribuerit [1]. Vermem pariter in ea hospitantem dignovit, et in eadem Tabula V iconibus illustravit. Nos et Mollusci fabricam magis absolutam, et icones longe ampliores, atque adcuratiores praebebimus, quemadmodum ii dignoscent, quos Mülleri lucubrationes cum nostris aequo animo conferre non pigebit.

Mollusci characteres. Criopus (Fimbriatus) branchiis longissimis in longum striatis, denseque fimbriatis; fimbria item recta utriusque radices transversim conjungente. Inspice Fig. 22 Tab. XXX. *Fig. 22.*

---

(1) *Zool. Dan.* Vol. I, pag. 4.

MOLLVSCI ANATOME.

T. XXX. *Fig.* 24. Ut Criopi Fimbriati fabricam rite contemplemur, ipsum valva altera sublata, pallioque penitus involutum in primis repraesentabimus in Fig. 24 Tab. XXX. *a*, *a*, *c*, *c*, capita exprimunt quatuor musculorum adductorum, quae valvis utrisque adfixa, iis comprimendis inserviunt. Per lentem vitream acutam perspecta surculis vasorum plurimis, atque concinnis locupletata adparent. DD est alter pallii lobus, ramosis ovarii propaginibus *d*, *d*, de quibus infra dicemus, inter geminam sui membranam distinctus. Pallium universum est maxime tenue, ac prope arachnoidaeum; quo fit, ut singulari studio egeat, et persumma diligentia, ut inviolatum servari queat.

Fig. 22. Pallii lobo, quem nuper innuimus, caute divulso, totum Animal detectum adparet, ut in Fig. 22. *s* est oris hiatus, ducens ad ventriculum, qui cum ceteris abdominis partibus occupat intervallum *ee*, inter musculos adductores praedictos *a*, *a*, *c*, *c*, comprehensum. In eo, propter maximam partium tenuitatem, nonnisi hepar amplissimum, folliculisque oblongis, ac viridescentibus de more compactum, conspicere datum est.

Fig. 22. Branchiae *b*, *b*, singularem sane formam praeseferunt nullo in Mollusci genere obviam; siquidem ciliorum instar compactae, ab exteriori ambitu lamellae cujusdam musculosae *r*, *r*, atque in longum sulcatae prodeuntium, in spiram veluti cornua arietis ambae contorquentur. Spira haec geminos orbes cum dimidio ferme obtinet. Cilia subulata, rigidiuscula, confertissima, membrana extra modum tenui, gracilique, vel quod verosimilius est, nullo vinculo simul junguntur. Ab una ad alteram branchiarum radicem lamella *ii* excurrit musculosa, similiterque ciliata. Figuram hanc dedita opera contemplantibus, noctuae faciem quadantenus repraesentare adparebit.

Fig. 23. Branchiis deinceps versus cardinem revolutis, quemadmodum exhibuimus in Fig. 23, inferus pallii lobus *zz* in conspectum venit, valvae alteri adnatus. Inibi ovarium *nn* inter geminam pallii membranam, sive *duplicaturam*, ut Anatomici dicunt, eadem ratione digestum adparet, ac in altero pallii lobo *dd* conspe- *Fig.* 24. ximus in Fig. 24. Ovarium hoc in singulis lobis in ramos abscedens, damarum cornua veluti imitari videtur. Color rufus, vel obscure miniaceus, pro diverso praegnationis incessu. Ova maxime exigua, quae cunctas Ovarii propagines seriatim infarciunt, Microscopio conspecta, globosam formam praeseferre videntur.

ANOMIA TRVNCATA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1152.

Ital. *Anomia Troncata*. Germ. Die Geſtumpfte Baſtardmuſchel.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. XCVI, Fig. A.

Born *Test. Mus. Vindob.* Tab. VI, Fig. 14.

Testae characteres. Testa subrotunda in longum striata, margine sinuoso, denticulato; apophysi alata intus instructa; cardine veluti secto, perforato. *T. XXX. Fig.* 15, *b.*

Testae descriptio. Testa subaequivalvis, fere rotundata, vel transversim paullo divaricata, in ambitu sinuosa, atque depressa. Valvae tenues striis densatis inconditis in longum exaratae, hinc sinu medio patulo, illinc plica elata pariter distinguuntur. Margo denticulis prominulis acutis, instar piscium hiatus, horrescit. Intrinsecus valva inferior apophysim habet, sellam equinam prope referentem, hinc inde alis instructam. Item utraque valva lente vitrea perspecta, aculeis minimis intus hispida adparet. Tota concha ad cardinem retusa, ac si secta inibi foret, rima gaudet orbiculata, in valva altera insculpta, per quam musculus perforans e Mollusco derivatus exeritur: ossiculus nullus. Concha universa flavo, vel fulvo colore illinitur.

Concham hanc naturalis magnitudinis valvis diductis exhibuimus in Fig. 17 Tab. XXX, quo et apophysis *a*, et rima *c* plane paterent. At ad apophysim istam elegantissimam cumulate dignoscendam, valvam alteram dumtaxat Microscopio amplificatam delineavimus in Fig. 16, ubi illam ad *xxyy* expressimus. *Fig.* 17. *Fig.* 16.

Historia. Testaceum hoc, licet minus vulgare, haud insolenter occurrit, Isidi Nobili, saxis submarinis, vel Madreporae Rameae adfixum una cum tribus praecedentibus, quemadmodum ad *b* in Fig. 15 cernere juvat, ubi geminum, ut saepe occurrunt, ad vivum delineavimus. Musculus perforans memoratis rebus firmiter adfigitur sine ossiculo intermedio, quem in aliis Anomiis locum habere demonstravimus. *Fig.* 15.

MOLLVSCI ANATOME.

Criopus Fimbriatus, quem in Anomia Turbinata hospitari ostendimus, incolit pariter Anomiam Truncatam. Illius igitur Anatomen consulere oportet. Monebimus dumtaxat, oris hiatum in antica sellae regione *xx*, inter alas *y*, *y*, situm esse. Abdomen reconditur in spatio subrotundo *c*, quod pone sellam positum, ipsam inter, et testae cardinem intercedit. Branchiarum radices cum posticae sellae regioni, tum lateralibus illius processibus, alas veluti referentibus, adli- *Fig.* 16.

gantur. Quidquid branchiarum superest, omnino liberum, omnique vinculo solutum invenitur.

ANOMIA CAPVT SERPENTIS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1153.

Ital. *Testa di Serpente*. Gall. *Le Scarabée*. Germ. Der Schlangenkopf.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. XCVI, Fig. B.

Born *Test. Mus. Vindob.* Tab. VI. Fig. 13.

T. XXX. Fig. 15, y. *Testae characteres*. Testa ovato-turbinata, tomentosa, inaequivalvis, in longum striata, margine denticulato, valva altera apophysi prominula; apice exerto, perforato.

Testae descriptio. Testa antice ovata, depressa, postice attenuata, ac veluti conica, inaequivalvis, in longitudinem striata. Striae per lentem vitream conspectae, dichotomae subinde adparent, et punctis veluti incondite concatenatis conflatae. Valva altera procerior, ad apicem exertum perforata est, denticuloque hinc inde instructa. Intrinsecus apophysi gaudet alata, haud secus, quam in Anomia Truncata obtinere demonstravimus. Valva altera brevior apicem habet tenuiorem, atque acuminatum. Margo denticulatus. Tota concha xylina veluti lanugine induta flavescit: interdum albida est, vel ex albido fusca.

Historia. Una cum Anomia Truncata promiscue vivit, iisdem rebus adnexa,
Fig. 15, y. ut ad *y* in Fig. 15; eidemque Mollusco tegumentum praebet.

Inter tot Anomiae species hactenus hic recensitas, mirari quis posset fortasse alteram a nobis fuisse praetermissam, a clarissimo Forskaelio delineatam, atque descriptam sub nomine Anomiae Tridentatae [1]. Equidem illa in hujus Regionis gurgite ignota non est, et ante Forskaelium Davilam non fugit, qui eam pariter inter Anomias adnumeravit [2]. At nos, qui adcuratissima indagine ipsam ad bivalvium Ordinem, ac proinde inter Anomias, injuria ab iis relatam fuisse deteximus; inter Testacea univalvia in Tomo altero hujus Operis jure conscribemus [3].

---

(1) *Descript. Animal. Orient.* pag. 124., Tab. XI, Fig. B.

(2) *Catalogue des Curios.* Tom. I, pag. 321; Tab. XX, Fig. D.

(3) Praestantissimus noster Gioeni, qui Testaceum hoc inter univalvia recensendum esse cognovit, novum Genus propter illud constituendum esse autumavit, ut suo loco exponemus.

GENVS XII.

MYTILVS.

Ital. *Mitilo*. Gall. *Moule*. Germ. Die Miessmuschel.

Belg. *Mossel*. Angl. *Mussel*. Dan. Muslingen.

Generis characteres. Testa bivalvis, rudis, saepius affixa bysso.

Cardo edentulus, distinctus linea subulata, excavata, longitudinali.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1155.

Generis descriptio. Rerum naturalium nomina a priscis Auctoribus usurpata, cum Recentiorum denominationibus adcurate conferre, eorumque convenientiam definire, arduum sane, ac difficillimum est. Eruditi rerum naturalium Scriptores multum laboris impenderunt ad probe inquirendum, cuinam concharum generi Mytili nomen veteres tribuerint. At eorum disquisitiones ad rem plane enucleandam nullo pacto contulerunt. His igitur omnino relictis, ne implicatissimis rerum ambagibus Lectores fatigemus, oportet animadvertere, methodicam concharum distributionem, quam Linnaeus, ut iterum iterumque dictum est, ab earum cardinibus derivavit, testas multas cum forma, tum habitu, tum denique natura, crassitieque omnino diversas, sub eodem Genere consociasse. Mytili itaque Generi cunctae conchae bivalves adscribuntur, quae lineolam tantum excavatam, atque subulatam, secus directionem ligamenti pro cardine gerunt. Quo fit, ut conchae, sive ovatae sint, sive subrotundae, elongatae, teretes, alatae, vel ad lobi formam compactae; laeves, muricatae, striatae, villosae, auritae, crassae, vel exiguae, dummodo cardinem ea ratione, quam recensuimus, compactum praeseferant, Mytili adpellationem adipiscantur. Equidem omnes, quantum scimus, argenteo, vel purpureo nitore intrinsecus decorantur, et uniones ferunt; maxime vero *Mytilus Margaritiferus* proprie dictus, qui Indicum Oceanum incolens, margaritas ceteris praestantiores universo orbi suppeditat. Plerorumque valvae, epidermate detrito, atque ad laevorem expolitae, venusto colore superbiunt, vel pulcherrimis coruscationibus collustrantur. Vermes testacei, quos ipsae tegunt, natura pariter ferme convenire comperimus. Et quamvis ipsos Linnaeus (quem nullos profecto, vel saltem paucos, et perfunctorie perlustrasse autumamus) Ascidias esse statuerit [1], nos tamen, et propter eorum naturam ingenti intervallo ab Ascidia diversam, et ob quamdam etiam inter se ipsos dissimilitudinem, ad duo diversa Genera confidenter referemus; nimirum

(1) Linn. *Syst. Nat.* pag. 1155.

ad Callitrichen, et ad Glaucum. Essentiales utriusque notas, licet Capite II Partis II nostrae *Introductionis*, pag. 32, et in descriptione Generis Ostreae satis indicaverimus, hic etiam opportunius declarare haud piget. Sic igitur paucis definiemus.

CALLITRICHE. *Trachea unica foraminiformis.*
Abdomen ovato-compressum, prominens: pes nullus.
Ligula linguiformis, vel subulata, ad cujus radicem barba byssina.

GLAVCVS. *Trachea abdominalis.*
Abdomen ovato-compressum: pes nullus.
Branchiae divisae, patentes.
Pallii membrana musculis ramosis destituta.

Mytilorum progenies universim in pelago hospitatur: pauci dumtaxat aquas palustres colunt, quibuscum marinae conveniunt. Quidam glarea, vel coeno oblimati vivunt; alii palis, Testaceis, Gorgoniis, Fucis, scopulisque adfixi per byssinum capillitium: nec illi desunt, qui vada argillosa, saxaque durissima, a sui prope ortu, mirifico prorsus artificio terebrantes, gradu irrevocabili inibi tumulati vitam degunt. Multorum naturam, atque mores perquirendos suscipiemus, dum sequentes eorum species hac in Regione obvias, ordinatim declarabimus. Cunctas autem in primis, ordinis gratia, in geminas Familias disponemus [1].

I. In Mytilos ventricosos.

II. In Mytilos parasiticos unguibus adfixos.

* Mytili ventricosi.

MYTILVS EDVLIS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1157.

Ital. *Mitilo comune*. Neapol. *Cozza negra; Cozza di Taranto*. Venet. *Peochio dell'Arsenale*. Gall. *Moule commune*. Germ. Die gemeine Miessmuschel. Belg. *Gewoone Mossel*. Angl. *Edible Mussel, the common sea Mussel*.

Rondelet. *De Test.* pag. 48.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCCLXII, Fig. 200.

Bonann. *Recreat.* Class. II, Fig. 30.

---

(1) Tertiam Familiam, quae Mytilos planos, et subauritos complectitur, consulto praetermittimus, quum nullus apud nos occurrat ad illam referendus.

Leeuvvenhoek. *Arcan. Nat.* pag. 465, Fig. 1.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. XCI, Fig. E.

Argenville *Zoomorph.* Tab. V, Fig. D.

Baster *Opusc. Subsec.* Tom. I, Tab. XI, Fig. 9.

Pennant *Brit. Zool.* Tab. LXIII, Fig. 73.

Da Costa *Brit. Conchol.* Tab. XV, Fig. 5.

Testae characteres. Testa ovato-attenuata, inferne angulata, transversim ob- *T.XXXI*
solete striata, nitida, atro-violacea; antice rotundata, depressa; postice in apices *Fig. 1.*
subconicos exerta.

Testae descriptio. Testa ovato-oblonga, ventricosa, aequivalvis, nitida. Valvae tenues, leves, at firmissimae, secus cardinis ligamentum carinatae sunt, et in angulum obtusum veluti attolluntur. Latus, quod huic opponitur, est fere rectum, interdum leviter incurvum. Antice, quâ Animantis tracheam respiciunt, valvae dilatantur in ambitum rotundatum, modiceque deprimuntur. Postice vero, versus os Animantis longe gibbosiores, sensim angustantur, adeo ut inibi concha conica evadat, ac in apices desinat firmiores, saepeque recurvatos. Striae obsoletae, atque annotinae accessiones, valvas in transversum exornant. Tota concha epidermate firmissimo nitidoque induitur atro-violaceo, quo acidi vi exemto, vel lima detrito, si testam probe poliveris, colore purpureo-violaceo, interdum etiam candicante, laete nitere conspicies. Intus ex argenteo, et caeruleo refulget.

Fig. 1 Tab. XXXI hujusmodi Testaceum exhibet insignis magnitudinis, bys- *Fig. 1.*
sino capillamento *a* instructum, quo marinis rebus adligatur, ut mox exponemus. Communiter juniora magnitudine minus praestant. Ad *nx* villorum apices, ad alterum Mytilum spectantium, dilatati exprimuntur, qui villis utcumque disruptis, testis firmissime adnati jugiter remanere consuescunt.

Historia. Mytili Edules, pariter ac Ostreae Rudes, simul hospitari consuescunt, alii aliis firmissimo vinculo consociati. Mutuus autem hujusmodi nexus non fit valvarum adminiculo, ut de Ostreis Edulibus, aliisque similibus dictum est, sed byssino capillamento a Mollusci corpore derivato, cujus villi, saepe ultra centenos, capitibus suis calyculatis aliorum Mytilorum valvis, palis, saxis, aliisve extraneis rebus tam firmiter adligantur, ut Mytili ipsi nonnisi in glomeres, saepe multarum librarum, ab aquis subduci queant. Equidem illustris Reaumurius adcuratissimis experimentis primus omnium detexit, villos hosce, vel fortuito, vel dedita opera diffractos, a Mollusco deinceps iterum restaurari. Vidit etenim Vir illustris, humorem glutinosum per ligulae rimam ab ipsamet erum-

pentem, ligulae ipsius ope in fila subinde cogi; atque hinc aliorum Mytilorum valvis, vel vitreis lagenis, ubi Mytili detinebantur, inde prope radicem illius capillamenti, quod ipse jam amputaverat, protinus adglutinari. Post has igitur observationes ea apud omnes invaluit opinio, ut censeatur, capillamentum, de quo agimus, nonnisi glutine illo, ac ligulae opera, in Mytilis universis esse conflatum.

Nos autem, qui fabricam hujus capillitii, rationemque, qua in Vermis corpore insertum deprehenditur, studiose attendimus, cordatos Lectores enixe obtestamur, ut quod nobis maximum negotium facessit, hic breviter liceat pronuntiare.

Byssinum capillamentum, de quo sermonem instituimus, Microscopio studiose perspectum, organicam naturam praeseferre videtur, haud secus, quam terrestrium Animalium pili, capillique; et cuncti villi, quibus compingitur, a trunco medio crasso, validoque ejusdem prorsus naturae, ut Figura 5 exhibet, ramorum instar, qui in arboribus obtinent, subinde derivantur [1]. Item truncus iste per tendineam bifidamque sui radicem, alte infigitur inter peculiares Animantis musculos, quos ad illum strenue inibi retinendum dedita opera Natura comparavit: quod quidem in barba Pinnarum, quam in earum Anatome contemplabimur, maxima, qua fieri potest, perspicuitate ostendemus: fila namque barbae radicem seorsim attingentia, arcte deinceps simul stipata, quattuor musculos explanatos efficiunt, mirabili artificio in musculorum abdominalium lacertis alte infixas. Quibus adcurate perpensis, haud facile intellectu est, quomodo e coacto glutine organica hujusmodi fabrica oriri possit; multoque minus, qua ratione fila illa per ligulam fabrefacta, inter musculos peculiares arctissime ad invicem adpressos, alte per ipsam infigi queant.

T. XXXI Fig. 5.

Insuper villi isti cum Animantis corpore simul geniti, cum Animante ipso pariter concrescunt, atque proferuntur.

His omnibus accedit, byssina fila in Reaumurii vivario restaurata, cum crassitie, tum colore ab iis fuisse dissimilia, quae Animantia ista a suis, ut ita dicam, incunabulis praeseferre videntur; cunctaque diversa prorsus ratione, ac in ceteris visitur, circa capillitii radicem fuisse adglutinata [2]. Idcirco capillamentum, de quo agimus, in statu naturali, et organica structura gaudere, et capillorum ritu concrescere existimamus; ligulamque nihil aliud praestare posse contendi-

(1) Maximam argumenti hujus vim sensit Reaumurius, ac proinde radicem barbae *dumtaxat* capillorum ritu concrescere suspicatus est, etsi byssina fila ex illa emergentia, eamdem simul naturam praeseferre videantur.

(2) *Mémoir. de l'Acad. des Scienc.* A. 1711, pagg. 116, 120, 122.

mus, nisi fila indolis peculiaris ex coacto glutine compingere pro re nata, quibus per mirificam prorsus Naturae industriam, filorum organicorum defectui possit quodammodo suppleri.

Mytili Edules vadis gaudent arenosis, vel pingui limo redundantibus. Apud nos nonnisi sinum Tarenti impense colunt, ac uberrimam sobolem gignunt: et quamvis REGIS munificentia in Lacum Fusarium simul cum Ostreis Edulibus iterum iterumque fuerint asportati, omnisque cura adhibita; numquam tamen crescere, et multiplicari potuerunt; dum Ostreae ex adverso, perinde ac in natali solo, gratam, ac numerosam sobolem procrearunt.

Tarenti igitur Mytilorum Mollusca autumno ineunte, speciatim vero mensibus Octobri, Novembri, initioque Decembris, ovis praegravata inveniuntur; tumque vernaculo idiomate *lattimati* denominantur, ob insignem lactis copiam, qua luxuriantur. Hiberna deinceps tempestate jam jam imminente, ova enituntur, quae aquarum motu abrepta, vel a limo, quo foventur, et ubi partim excluduntur, subducta, palis plurimis ex pino confectis, et data opera jam usque a mense Octobri in gurgitis fundo defixis, glutine suo adnectuntur, macularum albescentium congeriem vastam referentia: quae a Tarentinis *Fito* nuncupatur. Partu hocce absoluto, praegnantia iterum evadunt, vixque quindecim diebus exactis, denuo foetus edunt; et sic porro dimidio quoque mense usque ad finem veris. Interdum palis ultra id tempus in mare relictis, observatum novimus, sobolis procreationem usque ad mensem Augusti continuasse, licet parcissimam. Ex quibus manifeste intelligitur, praegnationem hujusmodi Molluscorum satis morosam esse, eorumque sobolem nonnisi successivis temporibus in lucem edi, quemadmodum de ceteris Molluscis *subsilientibus* in genere Capite VIII nostrae *Introductionis*, pag. 68, satis superque adnotavimus.

Praestat item hac super re animadvertere, partum, de quo agimus, ocyus seriusve inchoare juxta autumnalis tempestatis qualitates; siquidem fluctibus diutius, acriterque furentibus, quam maxime retardari cognovimus [1].

Foetus exclusi tam rapide adolescunt, ut trium ferme mensium intervallo amygdalae magnitudinem impleant. Tunc temporis itaque e palis, quibus adnascuntur, diligenter abrasi, byssinisque capillamentis, quorum intextu magnos

---

(1) Quae usque adhuc de Mytilorum sobole dicta sunt, humanissime nobiscum communicavit illustris Tarentinus Antistes Josephus Capecelatro, cujus virtutes, atque praestantiam, pag. 68 nostrae *Introductionis* adposite innuimus. Inibi adnotare omisimus, sobolis procreationem usque ad veris finem pergere, quippe hanc notitiam omnino ignorabamus.

glomeres componunt, a se mutuo divulsis, partimque disruptis, in alium sinus recessum seorsim conjiciuntur; quod *serere* audit. Equidem hoc ob id fieri consuescit, ut scilicet conchae, et fluminis, et aquarum dulcium, e maris fundo exsilentium, influxu gaudeant.

Mytilorum Edulium carnes, dummodo pingues sint, suavissimae existimantur, sive crudae, sive frixae, sive salsamento conditae, vel pastillis, jusculisque commixtae, seu denique qualibet ratione paratae, quam pro Ostreis Edulibus usitatam esse innuimus [1]. Non ubique tamen aeque suaves, atque salubres censentur; etenim in quibusdam Regionibus admodum noxias esse scimus, ac interdum ad satietatem usurpatas, gravissimos intestinorum dolores, et postremo mortem intulisse. Quibus perniciosis adfectionibus protinus mederi ajunt vel oleum ore haustum, vel aquam epotam, in qua pauxillum salis fuerit solutum, vel denique acetum vini [2]. Batavi bina cochlearia olei, alterumque succi citri, vel aceti, probe simul commixta haurire solent; idque efficacissimum remedium esse perhibetur [3]. Apud nos tristes hujusmodi casus numquam accidisse audivimus, licet Mytili communiter pro cibo veniant. Quaedam dumtaxat corporis pars urentem veluti piperis saporem, quamvis innoxium, saepe ingerit palato; eaque ligula esse creditur, de qua infra disseremus. Quare nonnulli eam quolibet modo discerpere, ac rejicere consuescunt.

Si Latinorum *Mytuli* iidem sunt, ac illi, de quibus sermonem facimus (de quo utique minus constat), vilioris pretii apud ipsos fuisse dicendum est; quippe Martialis lib. III, *Epigr.* 60 sic ait:

Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino:
Sugitur inciso mytulus ore mihi.

Item vim alvi molliendae iis tributam fuisse, tum a Catone in suo opere *De re rustica*, tum ab Horatio discimus, qui lib. II, *Satyr.* 4, vers. 27, vulgarem sui temporis opinionem his verbis expressit:

Si dura morabitur alvus,
Mytulus, et viles pellent obstantia conchae.

Mollusci characteres. Callitriche (Purpurea) pallio atro-purpureo, superne
T.XXXI fimbriato-cirrato, cirris ramosis; ligula depressa, purpurea; capillamento byssi-
Fig. 2. no, crasso, praelongo. Inspice Fig. 2 Tab. XXXI.

---

(1) In Historia Ostreae Edulis.

(2) Vide Basteri *Opusc. Subsec.* Tom. I, lib. III, pag. 109, et Pennant *British Zoology*, Class. VI, pag. 95.

(3) Da Costa *Brit. Conchology*, pag. 218.

MOLLVSCI ANATOME.

Quamvis post Listeri [1], Heide [2], Leeuwenhoekii [3], Argenville [4], Basteri [5], aliorumque illustrium Virorum tentamina, pro fabrica Animantis Mytili Edulis dignoscenda, ea inter Zoologos invaluerit opinio, quod scilicet Animantis hujus anatome prorsus innotescat; nihilominus sedulae nostrae investigationes super eodem Mollusco, opinionis hujus futilitatem luculentissime nobis demonstrarunt. Ex iis etenim, quae illi investigarunt, quaedam sunt, quae minus adcurate fuerunt perquisita; itemque multa sunt, praesertim circulationis viae, quae penitus adhuc ignorari animadvertimus. Idcirco cuncta hic in propatulo ponere operae pretium judicamus; ex quibus, quae nos ad Animantis hujus anatomen absolvendam contulerimus, ii clare dignoscent, qui cum illustrium Virorum lucubrationibus super eodem Animante, hasce nostras aequo animo comparare maluerint.

Animantis partes, quae musculis adductoribus in medio amputatis, valvisque diductis in conspectum veniunt, in primis recensebimus, ad ejus formam, atque habitum exteriorem probe dignoscendum; ceteras deinceps, quae vel dissectione, vel *injectione* indigent, opportunius investigaturi. Itaque *abcd*, in Fig. 2 Tab. XXXI, exprimit pallium musculo suo orbiculari conchae margini in ambitu adnatum. E, E sunt branchiae quadrilobae, pallii membranae utrinque incumbentes. *A* est abdomen, cui subest ligula musculosa *h*. Abdomen inter, et ligulam inest barba byssina, seu capillitium *f G*, cujus ope substantiis quibuslibet Molluscum adligari consuescit. *m* ostendit oris hiatum labiis quadrigeminis *n*, *n*, *o*, *o* communitum: *x* denique ductum quemdam exprimit ori proxime subjectum. *T. XXXI* *Fig. 2.*

Pallii limbus atro-violaceus cirris insignitur multifariam ramosis veluti cervorum cornua, quemadmodum in Fig. 4 Microscopio adauctos exhibuimus. Cirri isti a summo pallio exorti, sensim exiliores fiunt, donec postremo ad medium prope pallium penitus evanescant, sicuti in Fig. 3 ad *by*, *cz*, cernere licet. Inter duplicem pallii membranam ovarii propagines subrepere conspiciuntur, ut infra demonstrabimus. Summae pallii fimbriae *bs*, *ic* (Fig. 2) ea ratione interdum conjunguntur pro lubitu Animantis, ut tracheae speciem revera constituant, tracheae pallii munus absolventem. Tracheae hujus hiatum obvelat occluditque ad nutum Mollusci valva lata *k*, semielliptica, fusca, et maxime con- *Fig 4.* *Fig. 3.* *Fig. 2.*

(1) *Tab. Anatom.* 14. (2) *Anatome Mytul.* (3) *Arcan. Nat.* pag. 462.
(4) *Zoomorph.* pag. 52. (5) *Opusc. Subsec.* tom. I, lib. III, pag. 101.

tractilis, quae cum basi sua supremo pallii limbo adhaerescit. Ligamento, seu fraeno exiguo *r*, gaudet in pagina inferiori, quod ad ipsam deorsum retrahendam, vel ad tracheae hiatum pro re nata moderandum, aptissimum esse conspicitur. Trachea ista ut plurimum evanescente, valvula praedicta sursum sponte attollitur ultra pallii limbum, ibique diutius manet, prout Figura repraesentat.

Ex modo dictis plane intelligitur, cur Mollusco, de quo agimus, binas tracheas tribuerint quotquot de ipso tractarunt Zoologi. Perperam equidem; ea etenim, quam nuper innuimus, nonnisi pro re nata ab Animante efficitur, eoque exanimato, constantissime evanescit. Quae constanter manet, et vera trachea di-
T.XXXI ci jure potest, posticam obtinet pallii regionem, quae thoraci proxime imminet,
Fig. 3. quemadmodum inter *a*, et *a* in Fig. 3 cernere licet. Habet ipsa hiatum ellipticum, labio latiusculo, musculoso, explanato, in ambitu communitum. Intrinsecus gemina valvula semilunari *i*, *i* insignitur, ultra modum irritabili, quarum munus est tracheae hiatum occludere. Earum limbi ad horizontem sunt. Trachea universa, partesque ei adjacentes colorem reddunt atro-violaceum, prout de limbo pallii antea dictum est. Colorem hunc membranae tenuissimae adhaerere deprehendimus; qua facillime a cuticula detrita, memoratae partes illico albescunt [1].

In tracheam modo declaratam rectum intestinum erumpit, a quo dum Testaceum in vivario detinebatur, excrementitiam colluviem, ut plurimum ex cinereo fuscam, instar glutinis tenuissimi in fila coacti, per integrum ferme horae quadrantem magno impetu subinde propelli conspeximus. Interdum crassa simul excrementa, ovorum formam referentia, glutine illo involuta eliminantur. Hoc idem phaenomenon a Bastero observatum facile ipsi persuasit, glutinosam illam materiem seminium esse a Mollusco ejaculatum; ac proinde Molluscorum hujusmodi alia mares esse, alia feminas [2]; ob id maxime quod in materia illa, postero die Microscopio perquisita, exilissimorum animalculorum myriades conspexit. At quis ignorat, animalcula ista, quae *infusoria* communiter audiunt, in cunctis aquae guttis adfatim abundare, ubi vel animantium, vel vegetabilium partes quaelibet fuerint immissae? In cunctis nostris perquisitionibus super hujusmodi partibus Microscopio peractis, tam ingentem animalculorum copiam jugiter invenimus, prope ut fidem excedat.

---

(1) Reliquorum Molluscorum cutem a membrana hujus generis colorem simul mutuari tuto adfirmamus, quemadmodum de Hypogaea Variegata, pag. 24 hujus Ordinis, quam conferre oportet, fuse dictum est.

(2) *Opusc. Subsec.* Tom. I, lib. III, pag. 107.

Branchiae E, E quadrilobae, secus abdominis latera per paria decurrentes, limboque suo interiori cum pallii velabro conjunctae, prope summum pallium apicibus ferme suis simul coalescunt. Sane sunt ipsae prae ceteris elegantes; earumque fabrica reticulata cum illa maxime convenit, quam in Limnaea Fusca obtinere tradidimus [1]. Singulorum loborum tunicae haud aegre a se mutuo secedunt, sicuti de Limnaea Fusca pariter dictum est. Nil equidem facilius, quam humorum circulationem in branchiis conspicere lentis vitreae adminiculo, dum illae a solis radiis collustrantur. Nos illam iterum iterumque perspeximus, etiam dum altera valva, una cum pallii lobo sibi adnato, a reliquo Animante fuerit avulsa. Nihilominus in labiis clarius ipsam scrutari fors tulit. Videbatur humor excurrere per canales labiorum transversos, quos infra indicabimus, motu ultra fidem pernicissimo, adeo ut tumultuose ebullire adpareret ad modum undarum transversim progredientium, ac se mutuo successive prementium. Undis hisce porro progredientibus, tubulorum illorum tunicae alterne tumescebant, atque deprimebantur rapidissime; unde fiebat, ut ipsi modo teretes, modo elliptici in sui medio efficerentur, spectaculo sane jucundissimo. *T. XXXI Fig. 2.*

Imam Mollusci regionem, quemadmodum in ceteris solet, obtinet os *m* latiusculum, gemino labiorum pari *n n*, *o o* refertum, quorum singula hinc laevia sunt, inde vero striata. Gula ampla, atque in longum sulcata, ventriculi fere longitudinem aequat. Ad hos una cum intestinis plane dignoscendos, seorsim delineari curavimus Fig. 6, ubi *a* exprimit os; *b*, *c*, *d*, *e* labia explicata; *m* gulam; *f* denique ventriculum dissectum, in cujus cavitate, praeter pylorum *n*, aliquot insunt orificia *r*, *s*, *t*, etc., per quae bilis in ipsum erumpit. Crassum, atque amplum intestinum *n o* a pyloro emersum, recta sursum tendit ad *o*, usque ad musculi adductoris superi imam oram, ubi tenuius factum, deorsum descendit, donec prope dexteram ventriculi regionem sursum denuo reflexum ad *x*, musculum adductorem nuper memoratum attingit, ac super ejus dorsum secus *y z* decurrens, in tracheam erumpit, pro excrementitia colluvie libere eliminanda. *Fig. 2.* *Fig. 6.*

Ventriculum, atque intestinorum partem hepar *d d* circumplectitur, iisque valide adhaeret. Constat ipsum ex innumeris folliculorum glomeribus racemosis, colore laete viridescenti suffusis, bileque praegravatis, quos tunica communis involvit. Folliculorum formam teretem, atque oblongam, in eorum glomere, quem in Fig. 10 inter *a*, et *a* Microscopio adauctum exhibemus, conspicere est. Vasa sanguifera, quae ipsos irrorant, infra demonstrabimus. *Fig. 3.* *Fig. 10.*

---

(1) Consule ejus Anatomen, Ord. II, pag. 5.

Cunctas Animantis partes praegnationis stadio involvit Ovarium, quod tunc temporis longe lateque luxuriari deprehenditur, adeo ut sobole jam edita, Animantis corpus pene collapsum, atque gracilissimum esse videatur. Mirifica Ovarii pulchritudo, atque elegantia praegnationis initio verbis complecti haud potest. Plurimis observationibus, Microscopii auxilio a nobis peractis, plane didicimus, ipsum e trunco tereti *b* in primis exortum, deinceps in ramos innumeros *c*, *d*, *e*, *f*, *g*, etc. venarum instar dispertiri, roseo colore nitentes. Propagines istae deinceps in alias, atque alias abeuntes, ut Figura demonstrat, in loculos veluti *h*, *i*, *k*, *m*, *n*, *o*, *p*, et sic porro, hinc inde distenduntur, ovis fovendis idoneos. Postremo ab ovis ipsis inibi concrescentibus insigniter dilatatae, ac miniaceum colorem adeptae, nativam formam, atque elegantiam amittunt, invicemque compressae, atque densatae, pannum veluti coccineum, vel miniaceo colore imbutum, repraesentant; quod denique lacteum candorem praeseferre conspicitur. Exiguam dumtaxat Ovarii hujus partem e Microscopio delineatam in hac Figura exhibuimus.

T. XXXI
Fig. 10.

Ovarium, de quo agitur, non universum modo replet corpus Mollusci, sed inter duplicem pallii membranam utrinque subrepens, geminos illius lobos longe lateque complet, quemadmodum in Fig. 3 inter *ff*, *gg* e natura repraesentatum vides. Cunctas Ovarii hujus ambages, partesque Mollusci universas, foecundationis stadio lacteus genitalis humor profluenter irrorat, qui in ipsiusmet Animantis corpore adfatim progignitur [1].

Fig. 3.

Pallii lobos lente idonea sollicite perlustrantibus haud aegre occurrit, margaritas solitarias pretiosi argentei coloris offendere, Ovarii propaginibus, inter duplicem loborum tunicam, strenue adhaerentes, ut ad *e*, *e*, *x*, *x* etc. in Fig. 3. Jugiter autem illas exiguas deprehendimus, etsi perfecte globosas, atque affabre elaboratas. Si magnitudine praestarent, pretiosissimis equidem, quae a Persico mari, aliisque longinquis regionibus huc adferuntur, comparari posse non ambagimus [2].

Fig. 3.

Fig. 2. Ori hujus Animantis subest proxime hiatus amplus *x* ductus maxime patuli, juxta Vermis dorsum ad tracheae usque regionem utrinque excurrentis. Gula,

---

(1) Hoc idem in ceteris Molluscis hujus Ordinis, quae sane androgyna gaudent natura, obtinere intelligatur, ut alibi dictum est. Consulatur Caput VIII Part. II *Introduct.* pag. 68.

(2) Quae ad margaritarum naturam, atque formationem spectant, Cap. IV Part. I *Introductionis*, pag. 18, satis enucleate tradidimus. Si quae addenda erunt fortasse, in Anatome Mollusci Pinnae Muricatae opportunius traditури.

membrana tantum interposita ab illo discriminatur. Duplici muneri absolvendo ipsum dicatum esse arbitramur; aquae scilicet continendae, qua Animantia ista egere deteximus, dum valvas habent compressas, pro peculiari fortasse nutritionis genere; et ovis eliminandis, quae e branchiarum loculis in ipsum hiantibus expelluntur tempore opportuno, quemadmodum in Limnaca Fusca fieri demonstravimus [1].

Animante conchae suae hianti adhuc adnato, branchiisque super sibi respondentes pallii lobos utrinque reclinatis, quemadmodum in Fig. 2 exhibetur, si lentis acutae adminiculo illam abdominis regionem conspicies, quae ad os usque utrinque protensa, branchiarum basi proxime adjacet, venustam cernes fistularum seriem *vv*, quam in Fig. 11 inter *a*, et *a* consulto amplificatam exhibemus una cum partibus sibi adjacentibus. Fistulae hae membranaceae, subteretes, luci perviae, hinc e vasis branchialibus, puta *dd*, pectinatim oriri videntur, inde autem in hepar immitti. Sane hydrargyrum in vasa branchialia injectum, fistulas hujusmodi libere subire deprehendimus. Quâ hepati adhaerescunt, earum pleraeque hepatis ipsius productionibus completae inveniuntur; quâ branchiis, propaginibus ramosis infarciuntur cujusdam alterius visceris coloris rufescentis, branchiarum basi adnati, hepatique simillimi: reliquae omnino vacuae, atque albescentes sunt. Ex altera regione, sive extima, supradicti vasis branchialis *dd*, altera simul fistularum series *bb* oriri videtur. Fistulae hujusmodi elegantissimae, etiam membranaceae, ac luci perviae, fusiformes prope sunt, et in longitudinem striatae. Utrum e vasis branchialibus, vel ex eorum vicinia ortum sumant, definire non audemus. Certum est, ipsas inter duplicem pallii membranam digestas, Ovarii propagines adire, quemadmodum in Fig. 11 inter Q, et R cernere est. Earum usum, aeque ac praecedentium *aa* omnino ignoramus.

T. XXXI Fig. 2. Fig. 11.

Imo abdomini adjacet proxime, ut supra dictum est, ligula *h*, subviolacea, depressa, rima insignita, valde contractilis, quae subinde varias accipit formas pro lubitu Animantis. Interdum angustatis lateribus, tantum extra testam producitur, ut pernici, ac vibratorio motu ad longa intervalla jaculari, pedisque munus absolvere queat: mox paullo correpta, admodum lata, atque mollis evadit: saepe etiam adeo corripitur contra basim suam, ut brevissima crassaque reddita, insignem rigiditatem adquirat. Ad motus istos absolvendos musculis gaudet, quos infra declarabimus. Fig. 2.

E ligulae basi exsurgit byssinum veluti capillitium *fG* flavi coloris; quod e trunco tereti, fidium chordam referente, plurima hinc inde perhibet tenuia fila- Fig. 2.

(1) Confer ejus Anatomen, Ord. II, pag. 5.

menta, in cotylos calyculatos abeuntia, quibus hujusmodi Testacea non modo sublicis, lapidibus, stirpibus marinis, ac testis omnis generis saepe adfiguntur, sed frequentissime inter se ipsa ita colligantur, ut magnos componant glomeres,
T.XXXI haud secus, quam forcipe, vel cultro extricandos. Capillitium hoc Microscopio
Fig. 5. inspectum, formam adamussim refert, quam repraesentat Fig. 5. Ejus radix in binas veluti aponevroses triangulares *x*, *y* discerpitur, quae in ventrem musculorum abdominalium alte firmiterque infiguntur. Qua ratione id fiat, in Anatome Chimaerae Pinnarum luculentissime demonstrabimus.

Musculi universi ad Molluscum, de quo agimus, spectantes, praeter binos valvarum adductores, quinis paribus continentur; quorum alterum ad ligulam peculiariter pertinet, reliqua vero ad corpus Animantis. Musculi valvarum ad-
Fig. 12. ductores A, *x* oppositas ferme obtinent valvarum extremitates: anticus A torosior, atque procerior; posticus *x* longe gracilior est, et admodum brevis, adeo ut testa vix ultra aliquot linearum intervallum hiare queat. Utrique de more fasciculati, argenteoque nitore conspicui.

Quaterna musculorum paria ad Animantis corpus proprie spectantia, ab eo-
Fig. 12. dem musculoso ventre, seu trunco musculoso S, tamquam totidem ramos oriri deprehendimus; cunctique sunt ceterarum partium Mollusci veluti basis, atque fulcimentum. Horum *a*, *b* sunt musculi *recti*, sive *retractores postici*, qui cum extremitatibus suis inferiori conchae margini, haud procul ab apice adhaerent, singuli singulis valvis, sicuti ad *a* cernere est; *c*, *c* sunt *recti*, vel *retractores antici*, quorum capita conchae disco, proxime sub musculo adductore *A*, adfiguntur, quemadmodum Figura demonstrat. *e*, *e*, *y*, *y* exprimunt *musculos obliquos*, qui conchae carinam attingentes paullo supra marginem inferiorem, illi adnascuntur. Horum vires cum musculis adductoribus consociantur ad valvas comprimendas: praeterquamquod totum Animantis corpus ad alterutrum latus trahere queunt. Qui alterum latus respiciunt, oppositorum antagonistae censeri debent. Postremo *d*, ejusque socius, qui a modo descriptis in hac Figura occultatur, sunt musculi *cruriformes* ligulae *h*, quae hic maxime contracta repraesentatur una cum adjecto sibi capillitio *f*. Hi a ligulae apice derivati, ac secus ejusdem latera decurrentes, truncum musculosum S superscandunt, ut singuli singulis valvis adfigantur una cum musculis obliquis, quos partim subeunt. Illorum adminiculo ligula omnes sui motus absolvit, ut supra dictum est; ad quod perficiendum concurrit etiam series transversa, atque elegantissima musculorum tenuium,
Fig. 13. quam in Anatome Chimaerae Pinnarum oculis subjiciemus. Fig. 13 musculos hactenus declaratos una cum ligula exhibet, praeter naturam ad conchae latus revolu-

tos, ut inferior eorum facies, atque nexus luculenter patefierent. Eos hic perspicuitatis caussa iisdem litteris, ac in Fig. 12, denotandos curavimus. Eosdem postremo longe amplificatos conspicies ad *xyz* in Fig. 11. *T. XXXI Fig. 11.*

His exactis, circulationis vias declarandas suscipiemus. Cor in primis, pericardio mordicus praeciso, ad *s* in Fig. 3 inspicere juvat, simul cum arteria descendente *so*. Id autem ut clarius intelligatur, Figuram 8, et 9 consulto seorsim exaravimus. Itaque Fig. 9 vasorum sanguiferorum systema repraesentat, quemadmodum adparet, dum Animali prono ejus dorsum perlustratur. Hydrargyro ipsum complevimus, quo universae propagines patefierent; et in Figura aliquantum amplificavimus, ad ejus notionem facilius adsequendam. *A* igitur est cor fusiforme, uniloculare, gracilissimum, rectoque intestino pervium, uti solet. Ipsum maxime amplificatum cernes in Fig. 7, ubi latus anticum ad *a a* aliquantulum discerpsimus, ut recti intestini pars *yy* illius cavitatem praetergrediens, luculenter pateret. B, B sunt ejus auriculae ovato-oblongae, quae plurimis loculis diversae magnitudinis, atque formae, ita in ambitu circumundique exasperantur, ut quum corripiuntur, elegantissime fimbriatae adpareant, sicuti Figura repraesentat. Imos earum apices subeunt bini venarum trunci *c*, *c*, quos *venas cavas* rite diceremus. Abeunt hi hinc inde in vasa branchialia D*d*, E*e*, in quorum singulis geminae prodeunt e regione surculorum series pectinatim digestae, singulis branchiarum lobis de more prospicientes. Exteriores tantum DF*d*, E*Fe* in Fig. 9 delineandas decrevimus, interioribus amputatis, pro universa arteriarum compage perspicue exhibenda. *Fig. 3. Fig. 9 Fig. 7. Fig. 9.*

Ex aortae descendentis trunco *i* geminae in primis hinc inde propagines emergunt 1, 1, quae in binos praecipue ramos 2, 2; 3, 3 divisae, sursum ad pallium, atque ovarium, deorsum vero ad eadem, et ad hepar tendunt; cui pariter prospiciunt rami inferiores 4, 4; 5, 5; quorum postremi ventriculum quoque adeunt, quemadmodum in Fig. 6 ad *i* cernere licet. *Fig. 9. Fig. 6.*

Ipse porro aortae truncus *i*M dum imam Mollusci regionem attingit, prope os inflectitur ad M, ac inter binos musculos rectos posticos recta sursum pergens, ligulam subit ab ejus basi, juxtaque illius axim excurrit usque ad apicem, ut infra declarabimus. Surculus 6 e laevo arteriae latere secedens, ad *y* dichotomus evadit, adeo ut surculus alter 7 secus pallii limbum sursum pergat, alter vero 8 propaginibus suis, et musculo recto, quem circumambit, et pallio, atque hepati prospiciat. *Fig. 9.*

Ex trunco *i* aortae descendentis, priusquam in ramos distribuatur, prodit e sinistro latere surculus tenuis, ac solitarius, seu *azygos*, *rn*, qui sub cordis auri- *Fig. 9.*

cula *b* sursum recta tendens secus latus recti intestini, propagines varias, ac tenuissimas profert, tum intestino ipsi, tum pallio, tum denique ovario prospicientes. Ulteriorem ejus progressum ultra musculi adductoris dorsum perlustrare non potuimus.

T.XXXI Fig. 9. Truncus H arteriae ascendentis ramos suos tribuit pallio, abdomini, musculisque ei adjacentibus. Nos vero ne hydrargyro quidem in illos injecto eorum progressus persequi potuimus.

His perlustratis, Animantem supinum disponere oportet, quo reliqua vasorum compages innotescat. In primis igitur conspicienda occurret arteria M*s*O, secus axim ligulae *a*O*c* excurrens. Est haec idem truncus aortae descendentis, quem ad M*o* repraesentavimus in Fig. 9.

Fig. 8. Secus ligulae latera gemini alii arteriarum rami *ab*, *cc* progrediuntur, qui surculis suis ad retis formam inter se coëuntibus, universam ligulae faciem obtegere videntur, cumque trunco medio *s*O crebris anastomosibus conjunguntur. Ab extima illorum regione complures alii ramuli F, G, H, L, K, etc. exsurgunt ad hepar tendentes, ac per anastomoses ad invicem coëuntes. Surculus *i* arcu facto, ad eumdem truncum redit, e quo emersit.

Fig. 8. Trunci N*ab*, R*cc*, de quibus hactenus dictum est, ubi ad labia pervenerint, illa secus axim surculis suis *r*T, *r*V pervadunt, qui pectinatim hinc inde dispertiti instar vasorum branchialium, eorum limbos adeunt. Surculi praeterea *xx*, *ee*, ab eodem trunco exorti, super labia ipsa nullo ordine perreptare videntur. Postmodum trunci praecipui *r*N, *r*R, pergentes juxta pallii limbum, ac dichotomi facti, in plurimos surculos dispertiuntur.

Fig. 8. E trunco N*ab* ramus 1 erumpit, qui in plures alios hinc inde discriminatur: horum 2 tendit ad hepar, surculosque plures tribuit fistulis illis, quas inter *a*, et *a* in Fig. 11 digestas esse demonstravimus; 3 vero, et 4 (eorumque pares in altero latere) propaginibus suis in surculos plurimos divisis abdomini prospiciunt. Ramus 5 ab eodem trunco N*ab* prodit, et secus medium abdomen se se attollens, surculis suis illud in ambitu complectitur; conjungiturque tandem simili trunco P, qui originem ducit a vasis Y*y*, Z*z*, abdominis basim circumambientibus, quique abdomini ipsi pariter prospicit. Vasa isthaec haud aegre patefiunt *injectione* facta in situ *u*; tunc enim hydrargyrum illico excurrere conspicitur per vasa Y*y*, Z*z*, vasis branchialibus proxime adposita; ac deinceps cunctos memoratos ramos adire.

Fig. 2. His declaratis reliquum est, ut de vasis lactiferis sermonem instituamus; quod paucis conficiemus. Sciendum igitur est, summis branchiis *y*, *y* deorsum infle-

xis, vel ad latera hinc inde distractis, in conspectum venire binas cisternas lacteas *t*, *t*, musculo adductori supero de more incumbentes. Subeunt ipsas vasa lactifera, quorum *e* ab altera ad alteram pergens, utrasque simul conjungit. Surculi *p*, *p* in ramulos plures diremti redeunt a summo pallio, atque trachea; *q*, *q*, a branchiis, quas secus de more decurrunt. Surculus denique *z*, ejusque socius, imam cisternarum regionem petentes, conveniunt ab imo pallio, ejusque vicinia. Vasorum hujusmodi compages, dum pallium ovis non turget, nudo oculo conspici potest. Cisterna, vasorumque initia ab ea prodentium, perinde ac musculus adductor, fusco colore inficiuntur; reliqua eorum pars lacteum colorem ostendit.

Mense Martio alterum horum Animantium macie confectum invenimus, cunctaeque ejus partes erant maxime conspicuae, praesertim canaliculi fusiformes, *T. XXXI* inter *b b* in Fig. 11 exarati ad latus vasorum branchialium. Ovarii rudimenta in- *Fig. 11.* ter duplicem pallii tunicam lente vitrea explorata, mirifica propaginum congerie, in ramos innumeros diremta, elegantissima, per tunicam universam subreptante, ac identidem simul intexta, compacta videbantur. Inter ipsa sanguiferorum vasorum surculos plurimos repere conspeximus [1].

MYTILVS FLAVVS.

Ital. *Mitilo biondo.* *Tabula XXXII.*

Testae characteres. Concha ovato-attenuata, tenuis, flava, laevis, nitida, mar- *Fig. 4.* gine prope cardinem ad angulum elato.

Testae descriptio. Testa ovato-oblonga, antice rotundata, postice vero attenuata, ac veluti mucronata. Valvae nitidae, admodum tenues, ac luci perviae, propeque cardinis regionem in angulum veluti elatae, striis transversis tenuissimis, recurvatis, atque obsoletis distinguuntur; et cum intrinsecus, tum extrinsecus, perinde ac epiderma, quo obvelantur, adeo flavescunt, ut ex succino conflatas esse existimares. Apices breves, acuti, paullumque remoti.

Historia. Concha haec nonnisi ob valvarum tenuitatem, earumque flavedinem discriminatur a Mytilo Eduli, quocum promiscue vitam degere consuescit. Si Molluscum inspicies, eadem prorsus structura gaudere deprehendes: constitutionem dumtaxat longe graciliorem praeseferre visum est. Idcirco illius tantum varietatem esse existimamus. Fortasse etiam concha, quae nonnumquam colorem

---

(1) Idcirco ad horum Animantium fabricam adcurate dignoscendam, in variis anni tempestatibus illam iterum iterumque perscrutari oportet, ut ipsi praestitimus.

reddit albescentem, nonnisi varietas est Mytili Edulis. Byssinum capillitium, quo conchae istae, pariter ac Mytili Edules, vel inter se ipsae, vel cum extraneis rebus colligantur, ad *x* in Fig. 4 Tab. XXXII inspicere juvat. In sinu Tarentino raro proveniunt: alibi nonnisi una vel altera fortuito, ac raro invenitur.

Tabula XXXII. *Fig. 4.*

MYTILVS SAGITTATVS.

Ital. *Mitilo a saetta*.

Fig. 2, 3. *Testae characteres*. Testa ovata, caerulea, postice tumescens, elata, interrupta; antice dilatata, depressior, margine rotundato; in longum radiis albis notata.

Testae descriptio. Testa ovato-divaricata, ventricosa. Latus posticum fere conicum est, valdeque tumidum. E medio fere disco, ac si concha inibi esset interrupta, protinus deprimitur, abiitque in latus anticum insigniter dilatatum, atque rotundatum, margine infero in cardinis vicinia elatiore. Idcirco tota concha rudem veluti sagittae imaginem reddit, unde cognomen derivavimus. Valvae tenues, at firmae, intrinsecus scrobes habent latas, atque profundas, lateri postico elatiori adprime respondentes. Concha caerulea radiis albido-violaceis inaequalibus in longum decoratur. Intrinsecus ex argenteo et caeruleo splendet.

Fig. 2. Figuram 2 Tab. XXXII inspicere oportet ad concham istam e latere delineatam conspiciendam. Eamdem a parte dorsi, quo latus posticum utrinque gibbosum e natura videri possit, in Fig. 3 delineandam curavimus.

Fig. 3.

Historia. Unicum dumtaxat hujusmodi Mytilorum conquisivimus e sinu Tarenti, et quod maxime dolet, penitus inanem. Pro eximio Naturae lusu ipsum accipiendum esse iterum iterumque suspicati sumus, ita ut elata conchae pars nonnisi Mytilus Edulis junior sit, reliqua vero annotinae illius accessiones. At radii discolores in longum digesti, quibus Mytili Edules nostrates numquam insigniuntur, praeconceptae huic opinioni penitus adquiescere non sinunt.

MYTILVS VNGVLATVS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1157.

Ital. *Mitilo ad unghia pecorina*. Germ. Die Klauenmuſchel. Belg. *Breede purpuragtige Mossel.*

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCCLXIII, Fig. 204.

Regenfuss *Collect.* Tab. IV, Fig. 47.

Fig. 5. *Testae characteres*. Testa ovato-recurvata, valde gibba, ponderosa, caerulea; postice rotundata, antice attenuata; apicibus crassis, recurvatis, remotis.

Testae descriptio. Testa ovata, postice rotundata, antice attenuata, striis transversis, saepius autem annotinis accessionibus distincta. Valvae crassae ac pon-

derosae, sunt maxime gibbae. Margo cardinalis convexus, rotundatus, neque in angulum elatus: qui illi opponitur concavus est, maxime ad apices. Apices elati, crassi, tumescentes, obtusiusculi, atque a se invicem remoti, ungulam pecorum haud procul imitantur. Utrique sursum incurvantur. Color testae intense caeruleus. Intus ex argenteo caeruleoque coruscat.

Concha haec similis Mytilo Eduli, ab illo ceteroquin discriminatur, et valvarum crassitie, et margine gibbosiore, et apicibus remotioribus, crassioribus, magisque inflexis, et anguli defectu in margine prope cardinem. Quos in apice cardinis memorat dentes illustris Linnaeus [1], in nullo, tametsi integerrimo, deprehendere datum est.

Historia. Apud nos rara admodum est hujusmodi concha; ideoque ipsam nonnisi inanem conquisivimus. Insignis autem ejus similitudo cum Mytilo Eduli, eidem pariter Animanti tegumento esse satis indicare videtur.

MYTILVS MINIMVS.

Ital. *Mitilo piccinino*.

Testae characteres. Testa minima, ovato-oblonga, transversim striata, apicibus rectis subulatis, intus purpurea. *Tabula XXXII. Fig. 1.*

Testae descriptio. Concha ovato-oblongata, transversim angustata, pineum nucleum cum forma, tum magnitudine aemulatur. Latus anticum altero paullo latius, rotundatum est; posticum magis ventricosum, subulatum, propeque rectum. Margo inferior ad cardinem in angulum elatus. Valvae tenues, fusco, purpureoque colore imbutae, striis transversis recurvatis obsitae sunt. Intus colore purpureo laete refulgent.

Variat ob latus anticum magis dilatatum, ob angulum ad cardinem elatiorem, acutioremque, et ob colorem viridescentem, qui extrinsecus cum purpureo eleganter commiscetur.

Concha isthaec pro Mytilo Eduli juniori, ac prope ab incunabulis emerso, facile accipi posset, si incuriose inspiciatur, quum earum nonnullae illius formam pene praeseferant. At in primis adserere tuto possumus, ipsas numquam magnitudinem excedere, quam in Fig. 1 Tab. XXXII delineatam vides, etsi aliquot annorum aetatem attigerint. Ad hoc, testae forma magis oblongata, purpureusque cavitatis color, specificam utriusque differentiam luculenter ostendunt. *Fig. 1.*

Historia. Mytili Minimi byssino sui capillamento, tum inter se, tum litoreis scopulis adnexi, vel in Lepadum anfractibus consiti, catervatim vivunt, ut in

(1) *Syst. Nat.* pag. 1157.

Tabula XXXII. Fig. 1. Fig. 1 Tab. XXXII repraesentatum cernes. Saepissime in saxorum rimis, vel in Testaceorum inanium cavitatibus alte delitescunt.

MYTILVS BARBATVS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1156.

Ital. *Mitilo barbato*. Tarent. *Cozza pelosa*. Venet. *Mussolo*.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. XCI, Fig. H.

Fig. 6., 7. *Testae characteres*. Testa ovato-oblonga, fulva, ad cardinem angulata, apicibus crassis, rotundatis, epidermate villoso, rigido; intus purpurascens.

Testae descriptio. Testa ovata, antice rotundata, atque depressa; postice coarctata, ventricosa. Valvae tenues, ac luci perviae, in angulum elevantur prope cardinis regionem. Latus posticum maxime ventricosum in apices desinit crassos, tumescentes, rotundatos, contiguos. Margo superior in quibusdam parumper *Fig.* 7. hiat quâ capillamentum exeritur, ut ad *y* in Fig. 7. Tota concha epidermate villoso rigido, sordideque flavo, obducitur usquequaque, si apices demas: at plerumque omnino detritum in latere postico, ambitum anticum dumtaxat instar barbae tegit, unde concha cognomen accepit. Epiderma hoc recenter a mari subductum, et Microscopio conspectum, ramosum esse detegitur instar foliorum quorumdam Fucorum, visuque jucundum est. Epidermate abraso, tota concha sordide fulva, vel ferruginea, striis tenuissimis recurvatis in transversum distingui- *Fig.* 8. tur, ut in Fig. 8 cernere est. Nonnumquam concha universa extrinsecus pulcro colore rutilo, radiisque miniaceis candidisque depicta adparet. Intus ex argenteo venuste purpurascit.

Fig. 6. Fig. 6 Tab. XXXII Mytilum hunc e latere repraesentat byssino capillitio *m*
Fig. 7. exerto; Fig. autem 7 marginem superum rima media instructum.

Historia. Mytili Barbati inter rara Testacea Crateris Neapolitani adnumerari debent. In saxorum submarinorum cryptis intrusi, vel navigiorum carinis bysso suo adfixi inter greges Ostrearum, quas Cristatas, atque Denticulatas appellari diximus, quandoque deprehenduntur. Tarenti longe frequentiores sunt, peculiarique ratione inibi ali, atque tractari didicimus. Vermem, quem tegunt, ad Callitriches Genus spectare, eademque prorsus fabrica gaudere, ac Callitrichen Purpuream, comperimus. Idcirco ejus anatomen in Articulo Mytili Edulis, in quo ista hospitatur, perquirere necesse est. At quoniam colorem longe diversum praeseferre deteximus, speciem peculiarem constituere oportuit, cujus characteres hi sunt.

Mollusci characteres. Callitriche (Flava) pallii limbo simplici, flavo, maculis niveis consperso; ligula, abdomineque pariter flavescentibus.

MYTILVS DISCORS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1159.

Ital. *Mitilo tripartito*. Angl. *Divided Muscle.*

Testae characteres. Concha ovata, utrinque rotundata, diaphana, exigua, in longum exiliter striata; area media pyramidali striis transversis distincta; margine crenulato. *Tabula XXXII. Fig.* 15, 16.

Testae descriptio. Concha ovata, ventricosa, exigua, pistaciae veluti nucleum referens. Valvae aequales, at inaequilaterae, sunt admodum tenues, ac luci perviae, ad similitudinem laminae corneae. Latus posticum perbreve est, orbiculatum, et maxime tumescens; anticum, totam pene conchae longitudinem explens, tenuius est, parumque depressius. Umbones tumidi in apices desinunt breves, atque retrorsum recurvatos. Utraque valva in tres veluti areas discriminatur, quarum extimae striis exilibus, confertis, obliquis, in longum stipantur: quae media est, strias exiliores in transversum gerit. Margo tenuissime crenulatus. Epiderma exilissimum, virideque, maculis fuscis interdum pictum, valvas obvelat. Hae intrinsecus margaritaceae veluti sunt, ac interdum roseis coruscationibus decorantur.

Ad concham istam e latere repraesentandam, Figuram 15 Tab. XXXII naturalis magnitudinis delineavimus; sicuti Fig. 16 ad ipsam e parte dorsi oculis objiciendam insculpi curavimus. Insignem Mytili hujus varietatem, etsi nulla descriptione illustratam, retulit Born in suo Opere *De Testac. Mus. Vindob.*, pag. 121, Fig. *d.* *Fig.* 15. *Fig.* 16.

Historia. Mytilus hic satis infrequens est inter conchas nostrates; frequentius fortasse occurrit in mari Adriatico. Jugiter saxis praeruptis, saepiusque vel Tethydi Coriaceae, vel Ascidiis firmiter cohaeret. Dum ipsum conquisivimus, muneris nostri occupationibus distenti, Molluscum inibi inclusum perscrutari nequivimus.

MYTILVS CYGNEVS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1150.

Ital. *Mitilo de' Cigni; Mitilo palustre maggiore*. Neapol. *Cocciola d'acqua dolce.*
Gall. *Grande Moule des étangs*. Angl. *Great horse Muscle; Swan Muscle.*

Gualt. *Ind. Test.* Tab. VII, Fig. F.

Pennant *Brit. Zool.* Tab. LXVII, Fig. 78.

Tabula XXXIII Fig. 2. *Testae characteres*. Testa ovata, ampla, ventricosa, utrinque rotundata, fragilis, viridescens, intus margaritacea; cardine recto.

Testae descriptio. Testa admodum lata, tumescens, aequivalvis, inaequilatera, laevis, ovatam formam reddit. Latus posticum perbreve, atque orbiculatum; anticum productum, modiceque coarctatum, sinum veluti efficit secus marginem inferiorem ad cardinis plagam pergentem. Valvae exiles, fragilesque striis transversis elatis, ac prope rugosis exasperantur, ab annotinis accessionibus derivatis. Margo secus cardinem est prope rectilineus; apicesque inibi desinentes exilissimi sunt, maximeque depressi. Umbones saepe decorticati. Concham universam extrinsecus epiderma tenuissimum obvelat, ut plurimum ex fusco luteove viridescens. Intus decoro margaritaceo nitore coruscat.

Historia. Mytili Cygnei (cygnorum equidem cupediae, unde cognomen traxerunt) quorumdam fluviorum ripas, aeque ac aquas palustres, fluentorumque fundos limosos impense colunt. Ipsos nobis REGIS munificentia benigne suppe-
Fig. 2. ditavit, e regiis Casertae canalibus de industria subductos. Quem in Fig. 2 Tab. XXXIII delineavimus, pallii limbo *aa*, pedeque B exerto, modicae molis est: grandiores duplam, vel triplam pene magnitudinem nonnumquam implere deprehenduntur. Eorum carnes copiosissimae, sive ob insuavem sui saporem, sive ob summam apud nos horum Testaceorum inopiam, a nullis comeduntur.

MOLLVSCI ANATOME.

Molluscum Mytili Cygnei gnaviter perlustratum Limnaea Fusca esse visum est, cui Myam Pictorum tegumentum simul praebere suo loco declaravimus [1]. Est enim illi trachea unica foraminiformis, elliptica, in Animantis dorso locata: summum pallium cirris subulatis, confertisque consitum: branchiae semiconjunctae, quadrilobae, ovisque globosis largiter praegravatae tempore opportuno. Hepar

---

(1) In Articluo Myae Pictorum, pag. 4 hujus Ordinis.

folliculis oblongis conflatum: ovarium ramosum, labyrinthiforme; quod autumnali tempestate turgescere incipiens, vere postea ineunte ovis maturis obsitum est. Labia ovata; pes ovato-lanceolatus. Item reliquae corporis partes quemadmodum in Limnaea Fusca, cujus absolutam anatomen in Tabula IX praestat contemplari.

Mollusci hujus anatomen studiose concinnavit illustris Mery; eamque, si lubet, relatam invenies in Actis Regiae Scientiarum Academiae Parisiensis [1], nullis autem Tabulis adornatam. Attamen inibi quaedam sunt, quae ob iconum defectum minus perspicue intelligi possunt; pars penitus omissa; alia minus absoluta; quaedam demum a rei veritate immane quantum abhorrentia. Inter cetera acriter contendit Vir praestantissimus, Animantem hunc, etsi corde, auriculisque instructum, venis, arteriisque omnino carere, ac proinde nullam in eo inesse humorum circulationem, sed aqueum humorem dumtaxat ab ore absorptum, per canalem quemdam cordis cavitatem subire. Ex quibus, quae proxime derivant, erronea pariter esse nemo non intelligit. Qui, anatome, quam nos concinnavimus, probe prius perquisita, supra dictas Mery lucubrationes consulere maluerint, propositam hic a nobis veritatem luculentissime dignoscent.

MYTILVS ANATINVS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1150.

Ital. *Mitilo delle Anitre; Mitilo palustre minore.* Neapol. *Cocciola d'acqua dolce.*

Gall. *La petite Moule des étangs.* Angl. *Small horse Muscle; Duck Muscle.*

Lister *Hist. Conch.* Tab. CLIII, Fig. 8.

Da Costa *Brit. Conchol.* Tab. XV, Fig. 2.

Testae characteres. Testa ovata, depressiuscula, utrinque rotundata, fragilissima, viridescens, nitida; cardine recto, alato, acutangulo; intus margaritacea. *Tabula XXXIII Fig. 1.*

Testae descriptio. Concha ovata, ad latera rotundata, parum ventricosa, nitida. Valvae fragilissimae, atque in ambitu membranaceae, laeves sunt, licet aliquot annotinis accessionibus transversim distinctae. Margo inferior secus cardinem oblique decurrit, adsurgitque antice in alam depressam, atque acutam, satis conspicuam, per quam potissimum distinguitur a Mytilo Cygneo. Tota concha epidermate exili obvelata, extrinsecus ex luteo viridescit, radiis laete viridibus sparsis in longum saepe depicta. Intus margaritacea.

---

(1) An. 1710, pag. 408.

Tabula XXXIII. Fig. 1. Mytilus hic communiter vix magis excrescit, ac in Fig. 1 Tab. XXXIII, e cujus hiatu Mollusci pedem protensum delineavimus. Clarissimus Ginanni alteram refert magnitudine praestantissimam in Fig. 15 Tab. III [1]. Nullam umquam tantae molis nobis inspicere datum est.

Historia. Mytilus, de quo agimus, sanissimam praebet Anatibus escam; unde Anatinus dictus est. Locus natalis, atque Mollusci, quod operit, natura, eadem adprime sunt, atque ea, quae de Mytilo Cygneo supra dicta sunt. Utraque concha haud raro unionibus locupletata invenitur. Eas peculiari Animantis artificio, e limo, ubi degunt, ad summa aequorum adsurgere adfirmat Mery [2]. Graculos iis insidiari ex Pennant didicimus [3]. Narrat ipse jucundissimum visu esse, si quando Graculi ipsis diffringendis pares non sunt, in sublime cum iis elevari, ut eas deinceps ex alto delapsas, atque diffractas, pernici volatu adoriantur, vermesque inclusos liguriant.

MYTILVS LITHOPHAGVS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1156.

Ital. *Mitilo Litofago*; *Dattilo di mare*. Neapol. *Lattero di Scoglio*. Venet. *Pevarone*.
Gall. *La Datte*. Germ. Die Steinmuschel. Belg. *Glatte Steenborder*. Angl. *Stone Piercer*.

Rondelet. *De Test.* pag. 49.
Bonann. *Recreat.* Class. II, Fig. 28.
Lister *Hist. Conch.* Tab. CCCCXXVII, Fig. 268.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. CX, Fig. D.

Tabula XXXII. Fig. 9, 10. *Testae characteres*. Concha teres, utrinque rotundata, antice depressiuscula, rufa; intus purpurascens.

Testae descriptio. Concha teres, ventricosa, digiti humani, seu potius dactylorum formam referens; postice crassior, atque tumidior; antice aliquanto depressa; utrinque rotundata. Valvae tenues, fragiles, epidermate subrufo amictae, striis recurvatis exilibus transversim distinguuntur. Item lineolis exilioribus interruptis incisae videntur, potissimum in latere postico, ubi limae veluti incisuras usu detritas praeseferre existimares. Intus tota concha ex argenteo purpurascit, vel roseo colore nitet, iridisque coruscationes adverso lumine ostendit.

Historia. Mytili Lithophagi nonnisi in rupibus praeruptis, vel in saxis solutis praeduris vitam degunt; et ubique apud nos frequenter occurrunt. Ut pri-

(1) *Oper. post.* Tom. II. (2) *Mémoir. de l'Acad. des Scienc. Ann.* 1710, pag. 412.
(3) *Brit. Zool.* Class. VI, pag. 97.

mum ab ovis emergunt, byssino capillamento, de quo infra disseremus, saxis illis adnascuntur, leviterque albidi sunt, vel leviter viridescunt. Grandiores autem facti eadem saxa terebrare incipiunt, ut inibi perpetuum domicilium sibi struant. Maxima hujusmodi saxorum durities, atque insignis testarum fragilitas, in varias traxere opiniones Ostracologiae Scriptores, dum explicare susceperunt, quanam ratione Mytili Lithophagi cryptas suas fabrefaciant. Sunt, qui putant, Animantia ista in saxa adhuc mollia intrudi, quae deinceps tractu temporis maximam duritiem consequuntur [1]. Quae quidem opinio et nullis fundamentis innititur, et rei veritati manifeste adversatur; constat etenim ex iteratis observationibus, quae nullum dubitationi locum relinquunt, Testacea ista in vetustis marmoreis molibus, jamdudum scalpro elaboratis viam sibi parasse. Item sunt, qui contendunt, latebras, de quibus agimus, nonnisi humori acri, atque rodenti, quem a Mollusci ore stillare, lapidibusque conterendis idoneum esse arbitrantur, tribui debere [2]. Perperam equidem; carnes etenim hujusmodi Molluscorum dulces sunt, atque suavissimae, neque ullum acoris sensum ingerunt palato. Praeterea hujusmodi latebrae admodum laeves sunt, testarumque formae adprime respondentes; quod sane a rodenti quolibet humore nequicquam posset absolvi. Idcirco verosimile est, Mollusca ista motu fortasse rotanti identidem acta, testarum vi, quas levibus incisuris, limarum instar, obsitas esse monuimus, sensim ac sensim in saxa penetrare. Neque mirum testas adeo fragiles tantam saxorum duritiem vincere posse; constat etenim chalybea instrumenta, quae in Anglia fabrefiunt, nonnisi hominum manibus, pulvere mollissimo, atque subtilissimo intrisis, jugi frictione detrita, maximum illum laevorem adipisci, quo crystallum expolitam pene aemulantur.

Singula Testacea singulas latebras sibimetipsis fabrefaciunt; quae porro ampliores evadunt, prout ipsa adolescunt. Latebrae istae, ut supra innuimus, concharum formam adprime reddunt, licet aliquanto latiores sint, itemque laeves, atque expolitae. Eodem prorsus artificio, ac in primis efficiuntur, illas adaugeri credendum est. Earum rimae, quae saxorum superficiem jugiter respicit, anticum conchae latus respondet, ubi jacet Mollusci trachea, qua et aquam, et alimenta sugit, faecesque intestinales expellit. Rima haec adeo testae diametro angustior est, ut illam concha nulla ratione subire queat, et nonnisi saxo malleis diffracto, e latebra educi. Huic Molluscum nullo vinculo adligatum deprehenditur.

---

(1) Bonann. *Recreat.*

(2) Vallisnieri *Opere* Tom. I, pag. 83.

Tabula XXXII. Fig. 9. Quo haec omnia luculenter patefierent, Figuram 9 Tab. XXXII delineari curavimus, quae saxi frustum exprimit conchis hujusmodi obsitum. Eo diffracto, alterum conchae latus A in propatulo positum, alterum adversae latebrae regioni adhuc incumbens, ostenditur. B est latebrae alterius dimidium, concha jam educta. C demum Mytili Lithophagi latus anticum perhibet, e latebra partim disrupta emergens. Latebrae hiatum *e e* conchae diametro angustiorem esse Figura demonstrat.

Fig. 10. Fig. 10 valvas patulas ostendit ligamento *S* simul connexas; et quamvis haec sit communis conchae magnitudo, haud aegre quaedam inveniuntur, quae ipsam ter ad minimum explent, ita ut quaternos digitos Parisienses in longitudinem, unum vero in latitudinem aequent. Harum aliquot maximae molis in Museo nostro adservamus.

Infrequens haud est rupes ingentes, saxaque molis insignis conchis hisce circumquaque obsita invenire; quodque mirum est, marmoreae, altaeque columnae, in vetusto Serapydis delubro Puteolis locatae, in imo sui scapo, ad decem ferme pedum altitudinem, Mytilis Lithophagis obsitae sunt, quorum valvas aliquot partim diffractas iterum iterumque ipsi e latebris eduximus. Etsi Templum istud parum distet a mari, altitudo tamen columnarum, ubi sublimiores Mytilorum latebrae consistunt, viginti duorum circiter pedum est super hodiernam maris libellam. Cui altitudini si illam adjiciamus, quam attingebant cryptae columnarum porticus superioris, quae ab iisdem Mytilis aeque perterebratae videntur, summam saltem conficiemus sex et quadraginta pedum. Idcirco credibile non est, summa aequorum e tanta altitudine subsidisse; maxime cum vetustae Romanorum aedificiorum fundationes pene integrae secus Bajanum litus, ad ternos prope pedes sub aquis inveniantur; unde conficitur, summa aequorum in universa illa regione altiora esse nostro aevo, ac vetustis illis temporibus. Praeterea si Templi illius fundationes antiquitus sub aqua fuissent demersae, Mytili Lithophagi non columnarum scapos dumtaxat, sed marmora quoque illis adjacentia, quorum magna copia est, similiter perterebrassent; cujus rei ne minimum quidem vestigium adparet, nisi in fragmentis aliarum similium columnarum. Idcirco verosimile est, ut probe animadvertit eruditus amicus noster Franciscus la Vega, antiquitatis peritissimus, columnas illas ad Templum longe vetustius spectasse, in loco humiliori situm, ibique quavis de caussa sub aquis marinis, fortasse ad horizontem positas, diu constitisse; illinc vero posterioribus temporibus in Serapydis Templum fuisse asportatas. Et profecto, ut ipse plane demonstrat, Serapydis delubrum ex antiquiorum aedificiorum ruderibus conflatum esse con-

spicitur. Quod quidem conjectationi, quam nuper innuimus, validissimum argumentum adjungit [1].

Mytilorum Lithophagorum carnes suavissimae a cunctis censentur, maxime quum ovis, lacteoque humore praegravantur, ut infra videbimus. Itaque exquisitioribus divitum mensis apponuntur diversis modis paratae. Eas coqui pro jusculis conficiendis magni faciunt; ideoque potissimum a Cajetae littore, ubi prae ceteris abundant, Neapolim adferuntur. Sunt, qui illas crudas edere malunt, sicuti de ceteris suis locis animadvertimus.

Mollusci characteres. Callitriche (Lithodoma) pallii limbo cirris destituto; trachea terminali, rugosa; bysso perbrevi, penicillato. *Tabula XXXII.*

Inspice Fig. 11 Tab. XXXII. *Fig. 11.*

Attenta Vermis hujus indole, domicilium scilicet in saxis sibi parandi, ejus cognomen a graeco vocabulo λιθοδομος, *lithodomos*, derivavimus, quod est *faber*, sive *architectus lapidarius*, qui e lapidibus aedificia struere novit.

MOLLVSCI ANATOME.

Callitriche Lithoeca, cujus anatomen mox exponemus, musculos adductores habet adeo breves, imumque pallii limbum adeo contractum, ut Animantis partes nonnisi illis praecisis commode explorari queant. Quamobrem utrumque ad latus posticum leviter amputare oportuit, ad Animantem resupinatum ea ratione patefaciendum, ac in Fig. 11 Tab. XXXII delineatum cernes. En igitur primum exteriores illius partes, quae sine ulla dissectione videri possunt. A, B sunt pallii lobi; C, D branchiae; *e* abdomen; *i* byssinum capillamentum; *d* ligula; *m* os labiis instructum: *s*, *s* denique sunt musculi recti postici. De singulis seorsim dicere adgrediemur. *Fig. 11.*

Singuli pallii lobi limbo suo exteriori cum ora epidermatis circumligantur, quod concham universam obducit, Limbi interiores omnino soluti tantum producuntur saepenumero, ut ad se invicem accedentes, concham etsi modice hiantem exactissime occludant. Musculus orbicularis, quo pallium ipsum interiori

---

(1) Disquisitionem hanc fusius persequutus est clarissimus Breislac in egregio suo Opere *Essais minéralogiques sur la Solfatare de Pouzzole*, pag. 171, et sequ. Si qui vero illam funditus pertractatam, solidissimisque argumentis suffultam legere cupit, adeat Epistolam ipsiusmet praestantissimi Viri Francisci la Vega ad me scriptam, typisque commissam Mediolani in Opere, cui titulus *Scelta di Opuscoli interessanti*, ad A. 1795.

Tabula XXXII. Fig. 12. conchae margini in ambitu adfigitur, est satis firmus, fibrisque argenteis multifariam intextis, uti solet, conflatus, sicuti ad *aa*, *cc* in Fig. 12, quae eumdem Animantem pronum repraesentat, sive a parte dorsi. Summam pallii regionem *Fig. 11.* obtinent bini lobuli musculosi *x*, *x*, crassi, rugosi, fusci, in ambitu cirrati, quos Animal pro lubitu corripit, alteriusque oram alteri adjungens, conicam veluti tracheam constituit. Eadem intrinsecus ternis cirris mediis ramosis utrinque insignitur. Desinit inferne in cuculli speciem *r*, quem Vermis modo producit, modo corripit, modo sursum trahit, interdum denique ea lege deprimit, ut valvulae munus absolvat, ad tracheam temporariam, de qua agimus, occludendam. Lobulos hosce in Callitriche Purpurea similiter obtinere, et tracheae speciem pro re nata constituere, in illius Anatome jam supra tradidimus.

Quae constanter manet, ac vera trachea est, obtinet summum pallium; et quamvis secus Animantis dorsum modice excurrat, haud tamen inibi hiat, quem-*Fig. 12.* admodum in Callitriche Purpurea, sed in summa pallii ora, pro ut in Fig. 12 ad *b* conspicere juvat. Est ei ora fusca obsita cirris brevibus, vix conspicuis: item rugis plurimis in transversum gaudet; quo fieri suspicamur, ut subfistulosa quandoque evadat, sicuti in Cerasta Cinnabarino fieri declaravimus [1]. Trachea ista in longitudinem dissecta, protinus in conspectum veniunt binae valvulae semilunares, quarum altera anteriora spectat, altera posteriora; ambae vero simul junctae ea ratione disponuntur, ut fistulae ligulam adamussim imitentur, et quum ad se invicem accedunt, rei cuilibet in tracheam aditum occludant. Valvulis diductis, scrobiculus subrotundus adparet, in quem influit rectum intestinum, ut infra dicemus.

Fig. 11. Os *m* imam Vermis regionem obtinens, labiisque quaternis cuspidatis *o*, *o*; *a*, *a*, instructum, ducit ad gulam infundibuliformem, indeque ad Ventriculum. Hujus *Fig. 12.* sedem sub *h* in Fig. 12, quae Animantem, de quo agimus, pronum, sive a parte dorsi repraesentat, conspicere juvat. Ejus cavitas ovata lacertis gaudet musculosis inter se mutuo implicatis, quos inter rimae diversae formae, atque magnitudinis hiant. Per illas ab hepate, quod Ventriculum late praegravat, atque circumvestit, bilis profluit in Ventriculum ipsum. Item surculi aliquot vasorum sanguiferorum eamdem cavitatem subire videntur. Interanea ex ipso emergentia *Tabula XXXI. Fig. 6.* eosdem flexus omnino patiuntur, ac in Callitriche Purpurea, quemadmodum expressimus in Fig. 6 Tab. XXXI. Simili pariter lege rectum intestinum ex abdomine prodit, mediamque cordis cavitatem pertransiens, desinit in tracheam proxime infra valvulas semilunares, de quibus supra dictum est.

(1) Pag. 55 hujus Ordinis.

Hepar Ventriculum in se fovet, uti supra animadvertimus. Folliculis plurimis arcte simul glomeratis, bileque turgidis de more compingitur, haud secus, atque in Callitriche Purpurea; ideoque ejus fabricam in Fig. 10 Tab. XXXI, si lubet, delineatam inspicies. *Tabula XXXI.* *Fig. 10.*

Ventriculum, atque hepar late complectitur, ac praegravat Ovarium *ff*. Crurum veluti ei forma est, si dorsum Animantis inspicias; at inde propaginibus suis utrinque prolatum, pallii *duplicaturam* subit, eamque penitus infarcit, ac praegravat. Vasorum sanguiferorum ramos, longe lateque per ipsum perreptantes, inter *yy*, *zz*, in Fig. 12 delineatos conspicere juvat. Ovarium hoc, quâ late patet, lacteum candorem refert, quum ova, quibus praegravatur, maturitatem suam attigerint. Praegnatione jam inchoata, colorem miniaceum, nonnumquam ex croceo varium reddit; quo tantum madescit, ut vel digitis arcte pressum, vel cultro sauciatum, miniaceus humor ex eo stillare videatur. Universa Ovarii facies tunc temporis est maxime decora, punctisque saturatioribus, confertisque undique conspersa. *Tabula XXXII.* *Fig. 12.* *Fig. 12.*

Secus abdominis latera jacent utrinque bina viscera exilissima *ss*, *ss*, quae lamellis veluti simillima, a musculo adductore supero ad imum pergunt. Est iis color fuscus, vel viridescens, quemadmodum in hepate conspicitur; et Microscopio studiose perlustrata, constare cernuntur ex immensa folliculorum congerie, oblongam formam aliquanto compressam praeseferentium; qui mirifico prorsus artificio, foliorum instar, ex unico veluti trunco derivare videntur. Ejusdem visceris fabrica, quam in Argo Calyculato, aliisque similibus Molluscis perquisivimus, hepatis structuram insigniter aemulatur, quocum fortasse connectitur, munusque analogum pariter absolvit. Ipsam in Fig. 7 Tab. XXVII Microscopio adauctam exhibuimus. *Fig. 12.* *Tabula XXVII.* *Fig. 7.*

Subest ori proxime hiatus patulus *n*, quem *sublabialem* recte nuncupares. Secedit ipse protinus hinc inde in geminos sacculos teretes, atque angustos, quorum singuli juxta branchiarum longitudinem, basimque auricularum cordis sursum pergentes, desinunt penes capita musculi adductoris *dd*. Horum munus idem prorsus esse censemus, ac in Callitriche Purpurea, de qua supra dictum est: aquam scilicet servare, pro peculiaribus fortasse Animantis necessitatibus, et ova, quae ab ovario ipsis contermino opportuno tempore excluduntur, in se recipere, atque eliminare. Cui muneri verosimile est alterum pariter sacculum inservire, qui satis amplus, quamvis brevis, cordisque prope formam referens, cordi ipsi proxime imminet, summa sui regione tracheae basi subjecta. *Tabula XXXII.* *Fig. 11.* *Fig. 12.*

Dorsalem regionem, quae inter musculum adductorem superum *dd*, summumque ovarium intercedit, obtinet Cor *i*, quod in hac Figura 12 pericardio discisso *Fig. 12.*

repraesentavimus. Forma illi est ovata, cavitasque unilocularis, recto intestino pervia, uti supra animadvertimus. Universa ipsius compages lacertis musculosis multifariam simul intextis obsita est; quaeque hinc inde auriculae adnectuntur, adeunt vasa branchialia, eadem prorsus lege, ac in ceteris fieri solet.

Tabula XXXII. Fig. 11. Branchiae, quas in Fig. 11 super pallii lobos ad C, D superstratas vidimus, quadrilobae sunt, similiterque constructae, ac in universa Familia Molluscorum *subsilientium*; potissimum vero in Callitriche Purpurea, de qua supra jam egimus. Neque ab illa diversae sunt circulationis semitae, quantum hic illic investigare licuit; enimvero singulas ordinate persequi eximia partium gracilitas nequicquam permisit. Vasa branchialia dumtaxat, hydrargyro praeeunte, penitus exploravimus; vidimusque regularem surculorum ordinem e canali medio prodeuntium, et super pallii membranam perreptantium.

Dum Mytilos Lithophagos plures e latebris suis exclusos in vivario contemplabamur, in eorum nonnullis fortuito resupinatis, atque hiantibus, ambos branchiarum lobos utrinque erectos, atque inflatos saepe conspeximus, licet inanes. Tales erant, ut singuli lobi pruni nucleum adprime repraesentarent, cujus latera filis tenuissimis inter se parallelis conficerentur. Quo suspicari adducimur, cunctis hujusmodi Molluscis facultatem inesse inflandi lobos branchiarum, eosque revera tumidos pro re nata reddendi.

Binae cisternae lacteae musculo adductori supero incumbentes, propagines multas recipiunt, a cunctis Animantis partibus procedentes, ut in Callitriche Purpurea.

Hisce omnibus investigatis, reliquum est, ut de musculis breviter disseramus. *Fig. 13.* Ad illos igitur plane intelligendos, in Figuram 13 oculos conjicere praestat, ubi illos valvae alteri partim conjunctos ostendimus. A est musculus adductor superus, sive major; *b* autem inferus, seu minor. Hunc *posticum*, si mavis, illum vero *anticum*, probe cognominaveris. Iis correptis valvae comprimuntur. Illorum capitibus adjacent utrinque capita musculorum rectorum *c*, *c*, *e*, *e*, quorum hos *po-* *Fig. 11.* *sticos*, illos *anticos* jure adpellabis. Hosce postremos ad *s*, *s* indicavimus in Fig. 11; *Fig. 13.* reliqui penes *dd* consistunt. Musculos istos a ventre B promiscue derivare comperimus, qui idcirco musculus *quadriceps* haud injuria dici posset. Imo hujusmodi musculo incumbit proxime ligula *x*, quam hic contractam exhibemus; quaeque idem munus absolvit, ac in Callitriche Purpurea. Est ei rima media elliptica, exigua, labiisque hinc inde veluti instructa. Ejus radix byssino penicillo *z* similiter gaudet, etsi insigniter exiguo, neque ramoso, ut in illa; etenim cuncti villi ab una veluti radice oriri conspiciuntur. Ejus formam, atque structuram Mi-

croscopio investigatam, curiosos Naturae scrutatores in Fig. 14 inspicere haud pigeat. Nonnumquam villorum apices in membranulas crenulatas expansos conspicere datum est. Byssum hanc nonnisi Testaceis junioribus usui esse credendum est, antequam domicilium in saxis sibi parent; etenim adulta in illis jam intrusa, penitus soluta, ac libera inveniuntur. *Tabula XXXI. Fig. 14*

MYTILVS HIRVNDO.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1159.

Ital. *La Rondinella*. Gall. *L'Hirondelle*. Germ. Die Vogelmuſchel.

Belg. *Vogelar.*, *'t Gevlekte Vogeltje*. Angl. *The Swallow Muscle.*

Bonann. *Recr.* Class. II, Fig. 58.

Lister *Hist. Conch.* Tab. CCXX, Fig. 55.

Rumph. *Thes. Amb.* Tab. XLVI, Fig. G.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. XCIV, Fig. A.

Klein. *Meth. Ostracol.* Tab. VIII, Fig. 13.

Adanson *Coquill. du Sénég.* Tab. XV, Fig. 6.

Testae characteres. Testa securiformis, lobata, lamelloso-aculeata; antice apice crasso, brevi, parasitico; postice cuspide ensiformi praelongo; cardine rectilineo. *Fig. 17.*

Testae descriptio. Concha oblique ovata, postice mucronata, antice in processum praelongum, ac tenuem protensa, rudem securis formam quodammodo imitatur. Valvae aequales, tenues, gibbae, atque inaequilaterae, desinunt postice in mucronem crassum, pyramidalem, in altera valva angustiorem, sinuque obliquo ad basim discriminatum: antice abeunt in processum ensiformem, compressum, angustum, longitudine insignem. Inter lobatam conchae partem, processumque istum sinus ingens rotundatus intercedit, a testae margine se se introrsum flectente derivatus. Distinguunt valvas striae transversae, recurvatae, exiles, quas secus concha in ambitu in lamellas abit fragilissimas, mucronibusque cuspidatis, compressis, infirmisque hirtas. Hi in adultioribus ut plurimum labefactantur, vel usu consumuntur. Discus modice crassus est, atque firmissimus: margo superus vitrea prope fragilitate donatus, aegre admodum intemeratus occurrit; inferus secus cardinem firmior est, atque adamussim rectilineus. Umbones gibbosiorem conchae regionem constituunt; apicesque acuminati prope mucronis postici radicem consistunt. Concha extrinsecus flava maculis ex fusco nigricantibus picta adparet. Intus ad discum margaritacea, in ambitu flava. Valvis

omnino patentibus, hirundinis formam adcurate reddit alis expansis; unde cognomen mutavit.

Tabula XXXII. Fig. 17. *Historia.* Mytilus Hirundo apud nos frequenter occurrit Sertulariae Miryophillae, Gorgoniisque omnigenis stipite suo adglutinatus. Illum in Fig. 17 Tab. XXXII, Gorgoniae Verrucosae A B adhaerentem repraesentavimus, quemadmodum in submarinis Nisitae speluncis iterum iterumque comperimus. Adultiores saepissime processu antico partim amputato inveniuntur. Conchytae dumtaxat illorum carnes edunt, quando ipsos arripiunt, testas deinde in mare abjicientes.

Mollusci characteres. Glaucus (Radicans) pallii limbo tessulis fuscis; trachea abdominali subulata; stipite corneo subulato, vel ramoso, radicante.

Fig. 18. Inspice Fig. 18 Tab. XXXII.

MOLLVSCI ANATOME.

Mytilum Hirundinem, qui formam refert revera singularem, ut ex modo dictis liquet, singulari pariter Mollusco tegumento esse deprehendimus. Etsi illud primo intuitu ad Callitriches Genus referri posse videatur, tracheae tamen defectus in summo pallio, ipsum a tali Genere apertissime excludit. Idcirco ad Genus Glauci jure traducendum esse existimamus, cujus essentiales characteres in trachea abdominali, pede nullo, atque pallii membrana musculis ramosis destituta, consistere monuimus [1].

Quo Animantis hujus partes in situ naturali ostenderemus, ipsum conchae *Fig. 18.* suae A B penitus patenti adhuc adligatum, ad vivum delineavimus in Fig. 18 Tab. XXXII. Pallii limbus *a b c d* tessulis fuscis albisque alternatim maculosus, duplici ordine cirrorum fuscorum consitus adparet. Pallii ejusdem membrana maximo vasculorum numero elegantissime per ipsam reptantium, undique referta est. *Fig. 19.* Microscopio conspecta, haud secus adparet, ac inter *x* et *y* in Fig. 19. Branchiae *Fig. 18.* C, D, semilunatae, lutescentes, divisae, marginatae, patentes, a ceteris, quoad fabricam, minus discriminantur. Abdomen E ovato-carinatum gravescere incipit, coloremque lutescentem induere mense Martio ineunte. Ramosae, atque sinuatae ovarii propagines tunc temporis per abdominis tegumenta maxime attenuata translucent; palliique *duplicaturam*, uti solent, subeuntes, illam infarciunt, *Fig. 18.* quemadmodum in Fig. 18 ad *ff*, *gg* conspicere licet. Os *e* labiis crenulatis instruitur, in appendices pyramidales, transversimque striatas *i*, *i*, *s*, *s* desinentibus.

(1) Pag. 148, Ord. II.

Ventriculus ovatus: interanea ex illo procedentia, post flexus varios dorsum Animantis petunt; rectumque intestinum *n*, musculum adductorem superum *m m* superscandens, cum illo cohaerescit, apice dumtaxat soluto. Hepar ingenti folliculorum numero compingitur, quorum glomerem Microscopio investigatum exhibet Fig. 20. Secus abdominis latera bina insunt viscera ovato-oblonga, atque rufescentia, quae eadem gaudent structura, ac in Argo Calyculato. Illam, si cupis, in Fig. 4, et 7 Tab. XXVII Microscopio amplificatam intueberis. *Tabula XXXII.* *Fig.* 20. *Tabula XXVII.* *Fig.* 4, 7.

Ex imo abdomine exit stipes veluti lignosus, seu potius corneus, subteres, subulatus, rigidus, niger, vel fuscus, cujus ope Testaceum, de quo agimus, Gorgoniis, aliisque marinis rebus firmiter revincitur prope radicem postici mucronis conchae, ut ad *Z* in Fig. 17. Interdum truncus radicalis in propagines plures divisus, quae in lamellas desinunt subrotundas, atque crenulatas, ventilabri formam aemulatur. Jugiter autem lamellarum instar, quae flexibiles, ac luci perviae sunt, quaeque inter musculos peculiares radicitus inseruntur, e corpore Animantis erumpere videtur, mox insigniter rigescit. *Tabula XXXII.* *Fig.* 17.

Subest proxime ligula *T*, teres, subulata, transversim rugosa, longissima pro re nata, luteoque colore infecta; interdum albescens, rima media *h* in longum insculpta. *Fig.* 18.

Cor ovatum, uniloculare, binis auriculis instructum, pericardio tectum, in Animantis dorso de more locatum. Arteriarum, quibus gaudet, ramos, atque progressus, ob infirmam partium naturam investigare nequivimus.

Binae cisternae lacteae *r*, *r*, canali communi *o* simul conjunctae, musculo adductori supero insistunt. Surculi lactiferi *x*, *x*, *t*, *t* (qui sunt utique multi, inque ramos plurimos divisi) ab universis corporis partibus reduces, ad cisternas demum simul confluunt. Eorum nonnulli etiam nudo oculo conspici possunt. *Fig.* 18.

Ab antica abdominis regione producitur utrinque musculus subteres, argenteo nitore conspicuus, totidemque e regione postica. Cuncti hi musculi prope medium abdomen simul coalescunt, quemadmodum ad *m* in Fig. 21: exinde vero divaricati, hinc versus oris latera pergunt, inde sub musculum adductorem X; ibique valvis utrisque radicitus adfiguntur. Antici *n*, *n*, ad *v*, *v* in Fig. 18, in situ naturali exprimuntur. *Fig.* 21. *Fig.* 18.

GENVS XIV.

PINNA.

Ital. *Pinna; Naccherone*. Neapol. *Madreperna*. Gall. *Pinne marine*. Germ. Die Steckmuschel. Belg. *Holster-Schulp., Hamdoublet; Steek-Doublet.* Angl. *Pinna*; *Nacre*. Dan. Stinken.

Generis characteres. Testa subbivalvis, fragilis, erecta, emittens barbam byssinam. Cardo edentulus, coalitis in unam valvulis.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1159.

Generis descriptio. Novissimum concharum Genus constituit Pinna; quae profecto inter Testacea bivalvia, atque univalvia medium obtinere videtur, ut mox demonstrabimus. Priscam hujusmodi denominationem vel a graeca voce *πινος*, *pinos*, quae *sordes* latine sonat, derivasse creditur, ob lutum fortasse, quo istae conchae sordescere deprehenduntur; vel quod nonnullis arridet, a latino vocabulo *pinna*, quidquid acutum est significante [1]; unde murorum, et turrium cacumina, quae in acutum per intervalla desinunt, *pinnae* vocantur. Hoc Genus itaque conchas illas complectitur ovato-acuminatas, erectas, fragiles, quae hinc in coni speciem desinunt apice acuto, inde vero per gradus dilatatae, margine definiuntur fastigiato, vel aliquatenus rotundato. Valvae extrinsecus sulcatae; squamosae, vel muricatae, sunt intus bicolores; quandoquidem ad fastigiatam sui partem rubro, vel flavo colore nitent, ad conicam autem argenteum nitorem, versicoloribus coruscationibus ut plurimum spectabilem, praeseferunt. Quaedam etiam ex argenteo late nigrescunt. Valvae istae saepe amplissimae, ac prope bipedales, nullo gaudent cardine, sed lamina testacea concham universam intus obducente, quâ conica testae pars longe patet, simul colligantur [2]: quae nihilominus ob laminae illius elaterem, et quadantenus hiare, et comprimi queunt pro lubitu Animantis.

Molluscum Pinnis inclusum Limacem esse statuit illustris Linnaeus. Quare suspicari cogimur, Virum praestantissimum ne obiter quidem illud inspexisse, quum nihil prorsus in eo sit, quod Limaci vel minimum adsimiletur. Graviter

---

(1) Cicero lib. II *De Nat. Deor.* cap. 48, primum etymon probasse videtur; vocem enim *pinnam* graecae originis esse diserte pronuntiat.

(2) Testas integras valvis simul nexis certe numquam vidit egregius Born., aliter namque haud adfirmasset, illas *ligamento membranaceo* simul colligari. Consule *Test. Mus. Vindob.* pag. 130.

quoque hallucinatus est clarissimus Adansonius, dum Pinnae cujusdam Molluscum idem esse pronuntiavit, ac Mytili Edulis, pallii fimbria solum excepta[1]. Animal hoc, quod cunctis Pinnarum speciebus commune esse comperimus, adeo a ceteris differt, ut novum, ac peculiare Genus pro ipso constituere opus fuerit. Chimaerae nomen ipsi tribuimus, quod quaedam ejus partes fabulosam Poëtarum Chimaeram quodammodo referre videantur, ut Capite II Partis II nostrae *Introductionis*, pag. 31, explicavimus. Characteres sui essentiales hos esse statuimus.

Trachea unica, anguinam formam referens.
Pallium musculis ramosis distinctum.
Abdomen haud prominens: pes nullus.
Ligula subulata, ad cujus radicem barba byssina.
Inspice Fig. 1 Tab. XXXVI. *Tabula XXXVI. Fig. 1.*

In Animantis hujus fabrica investiganda maximam equidem operam impendimus; at multa simul laborum nostrorum praemia tulisse ingenue fatemur; mirifica etenim illius compages, universis Naturae cultoribus adhuc ignota[2], ac praesertim circulationis viae, hydrargyri ope longe lateque investigatae, non maximum modo oblectamentum attulerunt, sed viam quoque liberaliter patefecerunt ad animalem oeconomiam ceterorum hujusmodi Molluscorum penitius, atque cumulatius intelligendam.

Colunt Pinnae loca arenosa, vel limo constrata; ubi apice suo, clavorum instar, infixae vivunt, quemadmodum in peculiari earum historia fuse explicabimus. Plures sunt earum species, quarum nonnullas, maria haec nostra incolentes, pro instituti nostri ratione persequi suscipiemus.

---

(1) *Coquill. du Sénégal*, pag. 213.

(2) Clarissimus Hasselquist quasdam dumtaxat strictim innuit Animantis hujus partes in suo *Itinere Palaestino*, Part. II, pag. 448. At fateri cogimur, Virum ceteroquin adcuratissimum nonnisi perfunctorie illum inspexisse; viscus enim testaceum (ut cetera praetereamus) pro ventriculo accepit, musculosque pallii ramosos pro venis.

PINNA RVDIS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1159.

Ital. *Pinna Rustica*. Neapol. *Madreperna*. Venet. *Palostrega*.

Belg. *Breede Holster-Schulp*. Angl. *The brittle Pinna*.

Rumph. *Thes. Amboin.* Tab. XLVI, Fig. L.

Ginann. *Op. post.* Par. II, Tab. XXVI, Fig. 167.

Pennant *Brit. Zool.* Tab. LXIX, Fig. 80.

Tabula XXXIII Fig. 3. *Testae characteres*. Testa subtrigona, fulvo-ferruginea, glabra, nitida, hinc in longum radiata, inde transversim striata.

Testae descriptio. Testa fere triangularis, postice conica, latere antico recto, vel modice rotundato; ventricosa, tenuis, laevis. Valvae satis gibbae, glabrae, nitidae, corneamque veluti naturam, coloremque nactae, hinc radiis in longum paullo elatis, undulatis, remotis, inde vero striis rudibus, annotinas accretiones significantibus, transversim insigniuntur. Latus inferius, quâ cardinem respicit, depressiusculum est, ac tenuius, saepe recurvatum, et ferme anceps. Latus oppositum parum hiat: anticum maxime divaricatum infirmumque, squamis patulis, fornicatis, raris, interdum ad ternas, vel quinas, saepenumero obsitum est. Cardo totam testae longitudinem occupat. Testa fulva, vel flavescens, ac veluti cornea, colore ferrugineo extrinsecus inficitur, intus vero est sordide margaritacea, ac prope plumbea.

Fig. 3. In Fig. 3 Tab. XXXIII barbam byssinam B expressimus in statu naturali extra concham exertam.

Historia. Pinnae Rudes cum in mari Mediterraneo, tum in Adriatico abunde proveniunt; litoreis tamen plagis nequicquam delectantur, sed alto in gurgite, limoso maris fundo infixae vivunt, unde nonnisi piscatorum retibus, quidquid in illo est averrentibus, fortuito implicatae subducuntur. Raro grandiores fiunt, *Fig. 3.* ac in Fig. 3 Tab. XXXIII expressum cernes. Latus anticum, quod extra limum est, Ostreis multis simul glomeratis saepe praegravatur. Est quaedam maris plaga ad sinum Cumanum, quingenta circiter passuum millia procul a litore, ubi ingens inest earum caterva. Molluscum in ipsis receptum, iis simile est, quae in ceteris Pinnis hospitantur; ejusque characteres, atque anatomen, una cum adjunctis illis, quae generalem Pinnarum historiam respiciunt, in Articulo Pinnae Nobilis infra exponemus.

Eorum pleraque, quae hactenus dicta sunt, sic carminibus comprehendit Giannettasius noster lib. VIII *Halieuticon*, pag. 194.

. . . . illa mari praelongo crure, suillo
Assimili defixa manet, directaque surgit.
(Unde et Romanis dicta est cognomine Perna)
Latior et sensim se e caudice tollit acuto,
Palma velut, geminaque operit sua viscera testa
Unum longa pedem, latoque patescit hiatu.
Est convexa, rudis, fuscoque immixta colore
Nigricat: argento splendescunt concava multo.
Verum coenosis quae plurima pullulat undis,
Flavescit; puris nam candida degit arenis.
Ad latus emittit non longe a cuspide byssum,
Quae similis lanae est, mixtaque nigredine fusca,
Velleribus serum flavis non vilior ipsis.

PINNA MVCRONATA.

Ital. *Pinna spinosa.*

Testae characteres. Concha trigona, fulvo-ferruginea, ventricosa, nitida; mucronibus proceribus, carinatis, remotis, secus radios longitudinales, cardinemque horrida. *Tabula XXXIII Fig. 4.*

Testae descriptio. Testae hujus forma, atque color eadem sunt, ac in Pinna Rudi, de qua antea dictum est. Unicum discrimen in eo consistit, quod radii longitudinales, aeque ac latus inferius secus cardinem, squamis cuspidatis, carinatis, proceribus, digitique transversi longitudinem interdum aequantibus, obsita sunt. Mucrones lateris inferioris sunt longe breviores, quemadmodum adparet inter A, et B in Fig. 4 Tab. XXXIII. *Fig. 4.*

Diu animo haesimus, an concham istam pro peculiari specie, vel pro varietate tantum Pinnae Rudis acciperemus (tanta est adfinitas, quae, demtis mucronibus, inter ipsas intercedit); at insignis mucronum proceritas, singularisque forma, nec non eorumdem dispositio secus cardinem, illam tamquam speciem peculiarem respiciendam esse persuaserunt.

Historia. Pinnae Mucronatae inter Rudes satis infrequenter proveniunt, ut inter centenas hujusmodi Pinnas vix unam vel alteram Mucronatam deprehendere datum sit. Molluscum, quod includit, nequicquam differt ab illo, quod in Pinna Rudi hospitatur. Ejus anatomen, atque historiam fuse declaratam invenies paullo infra in Articulo Pinnae Nobilis.

PINNA MVRICATA.

Ital. *Pinna Squamosa*. Neapol. *Madreperna*. Gall. *Jamboneau épineux*.
Germ. Der gedornte Schinken. Belg. *Gedoornde Ham*. Angl. *Prickley ham Muscle.*

Bonann. *Recr.* Class. II, Fig. 24.
Rumph. *Thes.* Tab. XLVI, Fig. M.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXIX, Fig. D.
Seba *Thes.* Tab. XCII, infra.
Argenville *Conchol.* Tab. XXII, Fig. F.
Ginann. *Op. post.* Part. II, Tab. XXV, Fig. 166.

Tabula XXXIV. Fig. 1. *Testae characteres*. Testa albida, levis, tenuis, ovato-acuminata, in longum striata, squamis proceribus, fornicatis, confertissimis hirta; intus ex argenteo flavescens.

Testae descriptio. Concha grandis, ventricosa, valde levis, antice dilatata, atque rotundata, hians; postice in mucronem desinens satis acutum. Valvae tenues, ac luci perviae, vitreae ferme consistentiae, secusque marginem anticum fragilissimae, striis elatis in longum decorantur: latus anticum autem squamis proceribus fornicatis, sparsimque fistulosis, confertissimis, per series prope transversas, atque arcuatas digestis, horrescit. Testa universa albescit, vel flavum colorem reddit: intus ad mucronem margaritaceo fulgore leviter nitet, macula atra saepe notato.

Concha haec pluribus obnoxia est varietatibus. Squamae ut plurimum anticam dumtaxat obtinent conchae regionem; interdum testa universa iisdem hirta deprehenditur. Latus inferius secus cardinem modo rectum est, modo sinuatum. Margo anticus in aliquibus in formam ovatam; in aliis hinc inde divaricatam dilatatur; in aliis in fastigium veluti adsurgit. Adultae spissiores, intrinsecus haud raro rufescunt. Juniores vitream transparentiam, colorem, atque sonitum reddere videntur; quandoque carneo colore leviter inficiuntur. Formam, atque adfe-
Fig. 1. ctiones, quas ipse jam adultae communiter praeseferunt, in Fig. 1 Tab. XXXIV intueri juvabit.

Historia. Pinnae Muricatae in iisdem prorsus locis proveniunt, ac Pinnae Nobiles, de quibus infra sermonem instituemus. Tunc igitur ambarum Molluscum (quod quidem utrique commune est), ejusque historiam, atque mores cumulate describemus.

PINNA SACCATA.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1160.

Ital. *Pinna Saccata*.

Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXIX, Fig. F.

Testae characteres. Concha semielliptica, antice fastigiata, postice mucronata, in longum striata, glabra, nitida, alba; ad mucronem intus margaritacea. *Tabula XXXIV. Fig. 3.*

Testae descriptio. Concha elongata, satis angusta, postice in mucronem procerum, ac fere subulatum protensa, antice vero hinc oblique recurvata, ac veluti fastigiata, inde recta, semiellipticam prope formam praeseferre videtur. Valvae fragiles, tenues, hyalinae, in longitudinem sulcatae, glabrae sunt, atque nitidissimae. Color albidus: intus ad mucronem margaritaceam naturam ostendunt.

Historia. Nonnisi e Tarentino mari Pinnam istam conquisivimus, ubi inter raras conchas adnumeratur. Nondum satis adulta, aeque grandis erat, ac Fig. 3 Tab. XXXIV. Idem Molluscum includebat, ac reliquae Pinnae; ejusque barbam byssinam ad C in eadem Figura repraesentavimus. *Fig. 3.*

PINNA NOBILIS.

Linn. *Syst. Nat.* pag. 1160.

Ital. *Pinna Nobile; Pinna grande*. Neapol. *Madreperna*. Venet. *Palostrega di Porto*. Genuens. *Pinnalana*. Gall. *Pinne marine*. Germ. Der edle Schinken. Belg. *Edele Zyde-Spinder*.

Bonann. *Recr.* Class. II, Fig. 24.
Gualt. *Ind. Test.* Tab. LXXVIII, Fig. A.
Seba *Thes.* Tab. XCI, Fig. 1.
Argenville *Conchol.* Tab. XXII, Fig. B.
Ginann. *Op. post.* Part. II, Tab. XXIV, Fig. 165.

Testae characteres. Concha lata, ovato-acuminata, crassa, ponderosa, transversim undulato-striata, sparsimque squamosa; intus corallino-margaritacea. *Tabula XXXV. Fig. 1, 2.*

Testae descriptio. Concha amplissima, ovato-oblonga, antice dilatata, atque rotundata, margine paullo hiante; postice coarctata, desinensque fere in mucronem tetragonum, crassum, validissimum. Valvae aequales subrugosae striis transversis, parallelis, undulatis exarantur, ad latus anticum squamis raris, subimbricatis, brevibus, saepe exasperatae. Margo anticus, quâ concha hiat, tenuis, fragilissimus, raro integerrimus; illinc usque ad mucronem gradatim spissior evadit. Mucronis apex ut plurimum decorticatus, jugiterque diffractus. Valvarum inter-

capedo fit per tabulam testae interiorem, quae ab una ad alteram valvam continua est, ut jure dici possit, concham istam in bivio positam esse inter Testacea bivalvia, atque univalvia. Testa sordibus repurgata, extrinsecus rubet; intrinsecus autem ad latus anticum margaritaceo nitore, iridisque variegationibus conspicua est; ceterum substantia corallina eam compactam existimares: undique nitidissima.

Concha ista haud aegre secedit in lamellas tenuissimas, atque diaphanas, potissimum ad latus anticum; quae Microscopio conspectae, membranas organicas translucere sinunt, de quibus Capite I Partis *Introductionis*, pag. 6, fuse pertractavimus. Item crusta universa, qua tota concha extrinsecus coagmentatur, praesertim ad mucronem, caute detrita, in crystallos prismaticas facile resolvitur, quas in eadem *Introductione* loco citato, pag. 7, satis superque recensuimus.

Tabula XXXV. Fig. 1, 2. Alteram e conchis junioribus adhibuimus quo Figuram 1 Tab. XXXV delinearemus, aeque et Figuram 2, quae valvae alterius cavitatem ostendit. Ceterum adultiores factae longe ampliores evadunt, ut infra dicemus.

Historia. Pinnae Nobiles in arenosis sponte proveniunt, ad mediam ferme concham, quâ mucronem respicit, recta in gurgitis fundo, ac immobiliter defixae. Praeterea, ac si strenua arenae pressio, ubi consitae sunt, ad ipsas contra maris impetum inibi retinendas satis non esset, byssino capillitio (cujus naturam, atque adfectiones infra explicabimus) stirpibus marinis quibuslibet in proximo positis, quaquaversum implicantur. Falso a quibusdam creditum est, capillitium istud, vel ad pisciculos captandos, vel ad humorem ab aqua sugendum, unde Animal vivat, fuisse a Natura comparatum [1]. Color est illi aureo-fuscus; ejusque longitudo interdum decem prope digitos aequat. Pexum in primis, atque in stamen redactum, indeque caligarum ritu contextum, vel manuum tegumentis, vel vestibus conficiendis adhibetur, propter mollitiem, atque nitorem, ultra modum commendabile. Ejus commercium apud nos a Tarentinis, atque Siculis prae ceteris exercetur. Item, nulla praeparatione adhibita, atque in auribus intrusum, aurium adfectionibus mederi existimatur. Sunt, qui putant, ipsum fuisse marinam priscorum byssum, cujus veteres Scriptores persaepe meminerunt.

Pinnis hujusmodi abundant prae ceteris litus Trinacriae, sinus Tarentinus, oraque maritima Crateris Neapolitani, potissimum ultra Promontorium Pausilypi. Equidem persumma adficimur animi jucunditate, quoties illarum piscationis recordamur, quam vere jam inchoato inibi facere iterum iterumque consuevimus. Est ad Insulam Nisitae, quâ illa ad septentrionem vergit, respicitque contra Pau-

---

(1) Bonann. *Recreat.* Part. II, Class. 2. Argenvill. *Zoomorph.* pag. 54.

silypi Promontorium, amoenissima maris plaga, quoddam maris ocium. Ibi inter ingentes, pulcherrimosque marinarum stirpium saltus, quibus plaga illa undique virescit, oculosque, animumque recreat, Pinnarum greges sponte gignuntur; quae mari tranquillo, umbrisque ab Insulae summitate cadentibus, ab iis qui cymbis insistunt, ad triginta ferme pedum altitudinem, subrectae, inque fundo arenoso defixae, perspicue cerni possunt. Urinatores igitur se se mari submergentes, illis arripiendis destinantur. Quoniam vero, ne reiteratis quidem ictibus, ab arena, ubi consitae sunt, educi queunt; arena etenim et pondere suo, et altissima aquarum mole sibi incumbente, fortiter stipata, urinatorum conatibus valide resistit; hi maris fundum nacti, ibique veluti in solo sedentes, arenam Pinnae circumjectam manibus averrunt, Pinnamque deinceps ambabus manibus comprehensam divellere conantur. Et si diutius, quam par est, spiritum cohibere nequeunt, ad summa aequorum ascendunt, suberibusque aquae innatantibus inibi de industria positis innituntur, donec tandem aëris haustu recreati, maris fundum iterum petant, operamque penitus absolvant.

Est item alter piscandi modus, quo potissimum utuntur, quum aquae marinae frigidissimae ipsos ab immersione deterrent. Tum igitur cymbis insidentes, unco ferreo robusto Pinnam in sabulo defixam perforant, conatibusque reiteratis e sabuli gremio divulsam e mari subducunt.

Nullus ferme ex priscis Auctoribus, qui de Pinna pertractarunt, cancellum quemdam praeterivit in illa hospitantem, quem *Pinnotherem*, vel *Pinnophylacem*, quasi *Pinnae custodem* dicerent, cognominarunt. Postmodum Recentiores omnes, veteres prosequuti, eorum sententiam hac super re adoptarunt. Inter priscos Aristoteles [1], Oppianus [2], Plinius [3], Plutarchus [4], et ipse Romanorum Oratorum princeps M. Tullius Cicero, diserte illam exposuerunt. Nos autem Ciceronis verba, quippe cuncti circa illius cancelli munus consentiunt, hic proferre seligemus. *Pinna*, inquit, *duabus grandibus patula conchis, cum parva squilla quasi societatem coit comparandi cibi. Itaque cum pisciculi parvi in concham hiantem innataverint, tum admonita a squilla Pinna morsu, comprimit conchas. Sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quaeritur* [5].

Alterum praeterea ejusdem cancelli usum commemorat cum illustris Linnaeus in *Amoenitatibus Academicis*, tum Hasselquist in suo *Itinere Palaestino*, Part. II,

---

(1) *Histor. Animal.* Lib. V, Cap. 14.
(2) *Halieut.* Lib. II, vers. 186.
(3) *Hist. Nat.* Lib. IX, Cap. 42.
(4) Lib. *De Sol. anim.* pag. 29.
(5) *De Nat. Deor.* Lib. II, Cap. 48.

Class. VI, pag. 448. *Sepia Octopodia*, ait ipse, *hostis est infensissimus hujus animalis* (in Pinna hospitantis). *Habitat vero in quavis testa astacus minimus testa molli, qui quam primum hostem appropinquantem videt, animal conchaceum monet, quod testam claudit.* Quod idem saeculo fere antea sic cecinerat suavibus modis Giannettasius noster Libro VIII *Halieuticon*, pag. 194.

Exiguos haec alit cancros, squillasve rubentes
Intus, et hos testa numquam dimittit ab ipsa;
Provida nam Pinnis custodes corporis illos
Ipsa parens Natura dedit, jussitque fideles
Excubias agere ex alto, dominamque tueri
Immanes contra polypos, fraudesque dolosas.

Universim pene receptam hujusmodi sententiam quidam ex recentioribus veluti commentitiam, ac fabulosam respicere non dubitarunt. Nos equidem litem hanc dirimere non audemus; nullam etenim rationem instituendorum experimentorum excogitare potuimus ad rei veritatem adsequendam, quum Pinnae in imo gurgite locatae, ut supra monuimus, scrutatorum investigationibus se se adimant. Nihilominus aliquot nostras animadversiones super re ipsa paucis hic proferre haud supervacaneum censemus.

In centum saltem Pinnis, non Muricatis modo, sed et Nobilibus, et Rudibus, sive juniores fuerint, sive adultae, sive denique senio confectae, quas perscrutari oportuit ad Animantis fabricam investigandam, nulla equidem occurrit, quae unum vel alterum cancellum tamquam sui hospitem non haberet. Cancellum porro istum eumdem jugiter esse comperimus; eum scilicet, quem Linnaeus *Pinnotherem* vocat, cujusque characteres hos esse perhibuit (1).

Cancer brachyurus glaberrimus, thorace laevi, lateribus antice planato, caudae medio noduloso-carinato. Ejus formam naturalis magnitudinis ad vivum expressam delineavimus in Fig. 4 Tab. XXXIV.

Tabula XXXIV. *Fig. 4.*

Et quamvis compertum sit, non Pinnas modo, sed conchas alias diversi generis, Cancri alicujus societate gaudere (nos enim quoque in Chamis, et Anomiis illos hospitantes invenimus); tamen hoc memoratae Auctorum sententiae circa munus Cancri Pinnotheris in Pinnis nullum negotium facessit. Vel enim censeri potest, Cancellos illos fortuito in conchas supradictas fuisse intrusos, propterea quod neque iidem semper sunt, neque jugiter in illis deprehenduntur; vel existimari posset, si qua foret cohabitationis hujusmodi constantia, conchas item illas,

---

(1) *Syst. Nat.* pag. 1040.

perinde ac Pinnas, suis custodibus gaudere. At quod nos veterum opinioni tuto adquiescere non sinit, est sane Cancelli Pinnotheris indoles, atque natura. Est enim ipse suapte natura adeo iners, et ad motum tardus, ut stimulo quolibet percitus, etiam protinus ac Pinna e mari subducitur, nonnisi lentissimo pede progredi cogatur, si quando ad motum cietur; ut plurimum enim deses, ac fere immotus remanere solet. Ad haec, vel fuerit ipse ad conchae marginem, vel inter lobos pallii Mollusci, jugiter et luto, et glutine quodam lubrico, quo Molluscum ipsum undique obliniri demonstrabimus, est adeo late obrutus, atque coinquinatus, ut ad progrediendum minus idoneus efficiatur, et ampla lotione egeat, ut sui qualitates dignoscantur. Ecquis igitur sibi persuadeat, animantem tam desidem custodem aptum esse contra insidias vaferrimi hostis, qualis est Sepia Octopodia? Ecquisnam credere poterit, pisciculos in Pinna innatantes, etiam in illa compressa ad monitum Cancelli, conclusos detineri posse, quum tutum illis pateat effugium per latiorem conchae regionem, quam jugiter hiare supra animadvertimus? Quibus opinari cogimur, veterum sententiam circa munus Cancelli Pinnotheris maximis difficultatibus obnoxiam esse, propeque ad commentum accedere.

Unionum, seu margaritarum, quae in Pinnis gignuntur, Athenaeus [1], ac Plinius [2], diserte meminerunt. Hoc in nostratibus haud infrequenter occurrere profitemur. Nos aliquando in altera dumtaxat ad vicenas comperimus, quarum partem ad vivum delineatam conspicies in Fig. 4 Tab. XXXVII. Erat iis forma, atque color multiplex, et varius; aliae siquidem globosae argenteum nitorem, haud secus quam in orientalibus fieri solet, praeseferebant, ut ad *a*, *b*, *c*, *d*, etc.; aliae vero corallino veluti colore nitentes, erant prope pyriformes, sicuti ad *e*, *f*, *g*, *h*, *i*. Has, licet argenteas, Romani veteres *elenchos* adpellarunt. Hinc Juvenalis *Satyr.* 6, vers. 457 sic ait: *Tabula XXXVII Fig. 4.*

Cum virides gemmas collo circumdedit, et cum
Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Eas inter pallii *duplicaturam*, vel sub peritonaeo, aut pericardio delitescentes invenimus, potissimum secus vias circulationis; unde facile conjectari posset, humorem, quo conficiebantur (sui enim forma nativam fluiditatem luculenter arguere videbatur), per minimorum surculorum orificia transvectum fuisse, ibique deinceps coactum remansisse. Ceterum etiam testae cavitati cohaerentes deprehendimus. At istae raro admodum forma gaudent regulari, et plerumque intrinsecus inanes sunt. Uniones istiusmodi *physemata* a Romanis graeco vocabulo

(1) Lib. III, pag. 94. (2) *Hist. Nat.* Lib. IX, Cap. 35.

dicebantur [1]. Praeterea obtineri nequeunt omnino integri, quum lima uti oporteat ad ipsos avellendos. Conchas hasce, unionibus sibi cohaerentibus instructas, ob eam dotem unguentis circumferendis apud Romanos destinatas esse didicimus [2].

Unionum dos omnis, ut Plinii verba referamus, *in candore, magnitudine, orbe, laevore, pondere* [3]: quae dotes haud sunt inventu faciles; neque duos reperire est inter se pares, ac similes, nullum ut in iis discrimen agnoscas; *unde nomen unionum Romanae scilicet imposuere deliciae .... Et in candore ipso magna differentia: clarior in Rubro mari repertis: Indicos specularium lapidum squama assimulat, alias magnitudine praecellentes. Summa laus coloris est exaluminatos vocari. Et procerioribus sua gratia est.* Quaeque idem Plinius e vestigio subjungit, luxuriam sui temporis aperte demonstrant; uniones etenim non solum digitis, auribusque suspensos feminae gestabant; sed corrigias caligarum, calceorumque tegumenta illis distincta, ac veluti onerata esse ait; eximiumque deinceps rei hujus refert exemplum. *Lolliam Paulinam*, inquit, *quae fuit Caii principis matrona, ne serio quidem, aut solemni caeremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium coena, vidi smaragdis, margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spira, auribus, collo, monilibus, digitisque: quae summa quadringenties H S. colligebat.* Unde intelligitur, cur narrationis hujus initio dixerit: *Principium ergo, culmenque omnium rerum pretii, margaritae tenent.* Ab Indico Oceano universim petebantur, praecipue autem a Persico sinu maris Rubri circa Arabiam. Neque postremo hic loci praetereundum puto, quanam ratione Plinius ipse in hujusmodi luxum sui temporis invehitur. *Parum scilicet*, inquit, *fuerat in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite, totoque corpore a feminis juxta virisque gestarentur. Quid mari cum vestibus? Quid undis, fluctibusque cum vellere? Non recte recipit haec nos rerum natura, nisi nudos. Esto, sit tanta ventri cum eo societas, quid tergori? Parum est, nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur. Adeo per totum corpus, anima hominis quaesita maxime placent* [4].

Multum sane disputatum est cum inter veteres, tum inter recentiores, qui naturalem historiam excoluerunt, circa unionum originem. Chares Mytilenaeus, ut ex Athenaeo discimus [5], uniones Testaceorum quorumdam ossa censendos esse

(1) Plin. *Hist. Nat.* Lib. IX, Cap. 35. (2) Id. loc. cit.

(3) Id. loc. cit. (4) Id. loc. cit.

(5) Lib. III, pag. 93. Ejus verba haec sunt: *Chares Mytilenaeus libro septimo Historiarum Alexandri tradit, in Indico mari, Armenia, Perside, Susiana, Babylonia, ostreo capi simi-*

perhibuit. Plinio arrisit illos accipere pro concharum earumdem foetu, caelestis roris infusione concepto, atque formato: quos foetus porro, pro diversa roris qualitate, caelique statu, diversas adfectiones mutuari autumavit. *Has*, inquit (conchas), *ubi genitalis anni stimulaverit hora, pandentes se se quadam oscitatione, impleri roscido conceptu tradunt, gravidas postea niti, partumque concharum esse margaritas, pro qualitate roris accepti. Si purus influxerit, candorem conspici; si vero turbidus, et fetum sordescere: eumdem pallere, caelo minante conceptum; ex eo quippe constare caelique eis majorem societatem esse, quam maris: inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina serenum. Si tempestive satientur, grandescere et partus. Si fulguret, comprimi conchas, ac pro jejunii modo minui. Si vero etiam tonuerit, pavidas, ac repente compressas, quae vocant physemata effícere, speciem modo inani inflatam sine corpore: hos esse concharum abortus* [1]. Commentitias hasce nugas serio refellere omnino supervacaneum existimamus.

Commentitiam item esse judicamus tum opinionem Ulyssis Aldrovandi (eximii equidem Naturae cultoris), tum illustris Valentini; quorum ille uniones nihil aliud esse ait, nisi alvi Mollusci excrementa, mora satis longa, atque diuturna adaucta, obdurata, lapideamque ferme indolem consequuta; iste vero in eam adductus est sententiam, ut crederet, ova infoecunda, atque in solidam molem compacta, in uniones immutari. Commentitias jure dicimus hujuscemodi opiniones, quia (ceteris argumentis praetermissis) neque uniones ulli in interaneis illorum Molluscorum inveniuntur, neque dumtaxat in ovario; sed et a concharum substantia producti, iisque adhuc adnati, et in diversis corporis partibus locati, potissimum vero in peritonaeo, in membrana pallii, atque pericardio, prout Animantis anatomen prosequentes infra demonstrabimus.

Sunt inter recentiores, qui illustris Chemnitz sententiam prosequentes, credere malunt, uniones ob id solum a Molluscis istis confici, ut scilicet rimas illas obstruant, quae a sui hostibus, terebrae quodam genere in eorum conchis perficiuntur [2]. Opinionis hujus fundamentum observationibus suis innixum perhibet

---

lem piscem, grandem, oblongum, carne intus ampla, candida, odoris apprime suavis. Hujus exemta ossa, quae alba sunt, uniones appellari, e quibus fiant inaures, monilia, et armillae, brachiorum, pedumque ornamenta, apud Medos, Persas, et Asiaticos omnes pluris aestimata, quam quae ex auro conficiuntur.

(1) *Hist. Nat.* Lib. IX, Cap. 35.

(2) Vide *Acta Soc. Nat. Curios. Berolin.*, vel Opus, cui titulus *Scelta di Opuscoli interessanti* Tom. III, pag. 378.

Vir clarissimus; cunctos enim uniones, quos ipse deprehendit, nonnisi conchis adnatos, rimisque illis obstruendis addictos esse testatur [1]: additque praeterea, artificiosae hujusmodi terebrationis ope in vivorum Testaceorum conchis margaritiferis, unionum generationem fortasse promoveri posse [2].

At observationes istas ad rem conficiendam ineptissimas esse ii facile intelligent, qui probe norint, in multis conchis (quas in Museo nostro adservamus, potissimum ex Haliotidum, Pinnarumque genere), uniones conchis ipsis adhaerentes inesse, etiam gregatim stipatos, etsi conchae illae ne minimum quidem rimarum vestigium praeseferant. Neque ratio, quam Chemnitzius ipse adducit ad hoc argumentum eludendum, ullum sane pondus habet; siquidem successivae concharum accretiones, quibus rimas illas quandoque obturari, delerique contendit, nonnisi intrinsecus id perficere possent; inde etenim dumtaxat novae concrescentes lamellae testaceae producuntur; idcirco si quae essent rimae in conchis, jugiter integrae, atque patentes extrinsecus remanerent' quemadmodum ex dictis Capite II Partis I *Introductionis*, pag. 10, plane intelligetur. Huc adde, maximam unionum partem, ut ex infra dicendis patebit, nonnisi in Molluscorum carnibus generari; subque illarum tegumentis, iisdem adfixam deprehendi. Quo sane argumento totam Chemnitzii sententiam funditus ruere nemo non intelligit.

Nos autem, cum ex multiplici observationum numero, quas super diversis Testaceis margaritiferis concinnavimus, tum ex illorum anatome, tuto contendi posse existimamus, uniones, de quibus agimus, ex humore peculiari esse conflatos, quem testis compingendis Natura destinavit; quique a viscere quoque peculiari secernitur, cui ideo *visceris testacei* denominationem tribuimus [3]. Sicubi igitur humor iste, vel propter nimiam sui redundantiam, vel ob quamlibet caussam morbosam, aberrat a semitis suis, ad organicam testae machinationem concurrentibus; suapte natura ad concretionem proclivis, haud aegre inspissatur, unionesque gignit, vel Mollusci carnibus juxta circulationis vias, vel testae cohaerentes. Quibus sedulo perpensis, phaenomenon a Chemnitzio observatum facile intelligitur; si quae etenim sunt rimae in conchis, humor ille, ex quo novae

---

(1) Ibid. (2) Serenissimum Sveciae Regem clarissimo Linnaeo praemia contulisse ob artificiosam methodum ab ipso inventam, margaritas scilicet ampliores efficiendi, litteris proditum est. Quaenam autem sit methodus ista, quantum scimus, adhuc latet. Consule *Hist. des Découvert. faites par div. sçavans Voyageurs* Tom. I, pag. 56.

(3) Vide Caput III Part. II *Introductionis*, pag. 42.

testaceae accretiones conficiuntur, a pondere aquarum per rimam prementium, introrsum propulsus, exostosis genus quoddam (sive uniones, quos observavit Chemnitzius) ibi efficiat necesse est: quae exostoses per alias morbosas caussas interdum compinguntur, quin ullum insit in conchis rimae vestigium. Sententiam hanc validissimis argumentis suffultam invenies Cap. IV Partis I nostrae *Introductionis*, pag. 19; quorum summa haec est. 1. Viscus testaceum in Molluscis margaritiferis, calculosis veluti concretionibus infartum deprehenditur, quae eamdem prorsus naturam, ac illorum conchae praeseferunt. 2. Uniones, quos illa gignunt, cum natura, tum colore, et concharum substantiae, et calculosis concretionibus visceris testacei penitus adsimilantur; idque chemica eorum analysis pariter confirmat. 3. Uniones discolores nonnisi in Testaceis illis progignuntur, quae discolori gaudent concha, ut de Pinna, quam pertractamus, supra dictum est [1]. Haec eadem fusius in nostra *Introductione*, loco citato, conferre juvabit.

Pinnarum carnes gratam escam veteribus praebuisse, ex pluribus locis, quos Athenaeus hic illic retulit Libro III, aperte colligitur. Alibi autem [2] illarum qualitates recenset, ubi ait: *Pinnae urinas pellunt, multum alunt, difficile coquuntur, et distribuuntur*. Eas Rondeletius hieme meliores esse statuit, et elixas assis [3]. Graecos in Palaestina tempore jejunii illis uti narrat Hasselquistius [4]. Apud nos in foro piscatorio rarissime veneunt: Conchytarum tamen aviditatem non fugiunt, qui illas comedunt prunis tostas, oleoque, et pipere conspersas. In primis autem et interanea, quae multo luto abundare animadvertimus, et viscus testaceum, arenosis veluti concretionibus infartum, divellenda esse arbitramur, ut sine noxa, et incommodo comedantur.

Unionibus, quos gignunt, varias medicas virtutes a veteribus tributas esse norunt omnes; at illas nostro aevo esse penitus neglectas cunctis pariter notum est. Laminae margaritaceae, quibus posticum concharum latus obvestiri declaravimus, a nostris artificibus communiter usurpantur, ad quaedam musicalia instrumenta, et supellectiles nonnullas vermiculato opere exornandas.

---

(1) Colorum varietatem in unionibus, etiam priscis notam fuisse colligimus ex Athenaeo, qui Lib. III, pag. 93 diserte ait: *Unio in Ostrei carne gignitur, quemadmodum in suibus grando; et alias quidem aurei usque adeo coloris, ut ab auro vix dignoscatur si propius id admotum sit, alias argenteus, alias prorsus candidus, oculisque piscium similis.*

(2) Lib. XVIII, Cap. 25.

(3) *De Test.* Lib. I, Cap. XLVIII, pag. 52.

(4) *Iter Palaestin.* Part. II, Class. VI, pag. 448.

Mollusci characteres. Chimaera (Pinnarum) branchiis lateritio colore imbu-
Tabula XXXVI. Fig. 1. tis; bysso amplo, serico, mollissimo, ex luteo viridescenti.

Inspice Fig. 1 Tab. XXXVI.

Pinnarum cognomen. Chimaerae huic adjecimus, quia in Pinnis omnigenis, quas perquirere facultas fuit, eam conclusam deprehendimus.

MOLLVSCI ANATOME.

Ad Chimaerae Pinnarum anatomen concinnandam demum ventum est: quo exacto, Molluscorum omnium *subsilientium*, quae conchis cum multivalvibus, tum bivalvibus continentur, investigationem absolvemus. Mirificentissimam Animantis hujus fabricam nullus umquam inter mortales verbis exprimere poterit; et quamvis nos ad illam ostendendam plures Tabulas confecerimus, quas Lectorum oculis ordinatim subjiciemus, exilissimarum tamen quarumdam partium progressum omittere debuimus, ne confusionem crearent. Centum ferme hujusmodi Molluscorum perscrutari oportuit, ut illorum fabrica funditus intelligeretur; gnarosque Zoologos impense hortamur ad illam sedulo contemplandam; quandoquidem ipsam, super reliquorum Vermium subsilientium anatome clariorem lucem adlaturam haud injuria existimamus.

Antequam porro Animantis hujus fabricam penitius investigare suscipiamus, operae pretium facturos arbitramur, si naturalem partium nexum, atque universam simul Animantis ipsius compagem oculis primum subjiciamus. Quare ipsum
Fig. 1. concha sua denudatum, atque integrum, pallii lobis expansis, in Fig. 1 Tab. XXXVI ad vivum delineavimus. AB, CD, sunt ambo pallii lobi; E, F branchiae illis incumbentes; GG, HH musculi valvarum adductores, quorum ope Molluscum valvis suis partim cohaeret. Os jacet ad *a*, glandulaque subrotunda *bb*, labiisque *c*, *c*, *d*, *d* insignitur: *e*, *e* sunt viscera testacea, quae introrsum producuntur: ad *f* est summum abdomen; rectumque intestinum apice suo I musculo adductori supero GG imminere conspicitur. K exprimit barbam byssinam, qua Mollusci corpus rebus marinis adligari solet; L denique ligulam, pedis munus quodammodo absolventem. His itaque perspectis, ad singularum partium absolutam investigationem deveniamus.

Fig. 1. Ad pallii fabricam rite intelligendam, Figuram 1 Tab. XXXVI, et 1 Tab.
Tabula XXXVII XXXVII, quae eumdem Animantem e latere repraesentat, intueri oportebit.
Fig. 1. Summum ejus limbum BC triplex fimbria exornat, cirris exilissimis obsita. Fimbriae istae colorum varietate discriminantur, atque superbiunt; altera enim fu-

sca est, altera flava; quaeque aliarum intima est, colore caeruleo, punctisque nigrescentibus tenuissimis condecoratur. Dolendum igitur est, fimbrias hujusmodi ut plurimum correptas, nonnisi aegre admodum contemplari posse.

Insuper pallium universum musculis plurimis N, N, N, O, O, O, etc. ramosis, candicantibus, ad limbum quaquaversum confluentibus (quos in Fig. 1 Tab. XXXVII ad P, P, P, Q, Q, Q, etc. in integrum conspicies), undique roboratur. Quae autem pallii regio posticam, sive dorsalem Animantis partem respicit, praeter musculos hosce, inibi rariores, lamellis gaudet R, R, R, R, etc., satis prominentibus, arcuatis, croceoque colore splendentibus, quae totam illam regionem parallelo ordine in transversum dissepiunt. Easdem inter *mm*, *nn* in Fig. 1 Tab. XXXVII per pallii membranam translucentes iterum conspicies. Mirabilem vasorum contextum secus partes hactenus enarratas decurrentem, infra exponemus. *Tabula XXXVI. Fig. 1. XXXVII Fig. 1. Tabula XXXVI Fig. 1. Tabula XXXVII Fig. 1.*

Pallii lobi, de quibus agimus, ad S tum inter se, tum branchiarum apicibus leviter adglutinantur, ut modico conatu facillime solvantur; at paullo infra continui fiunt, ut in Fig. 1 Tab. XXXVII ad R videri potest. Illinc totum pallium deorsum pergens usque ad H, totum Animantem, instar peritonaei, arcte, firmiterque circumducit, musculis ramosis, multiplicibus MM ad invicem implexis, strenue consitum. Per ipsum interaneorum pars, ovarium, quaeque alvo continentur, manifeste translucent. Inferioribus tendinum capitibus *a*, *a*, *b*, *b*, e postica loborum regione productis, valvis adligatur; ceterum in ambitu levissime cum illis cohaeret, ac facillime sponte secedit, ut saepissime deprehenditur. Utraque illius facies, quâ late patet, materia glutinosa, tenaci, lubrica, uberrime scatet, contrectantium manus inquinante, ut aegre ablui possit. *Tabula XXXVI. Fig. 1 Tabula XXXVII Fig. 1.*

Branchiae E, F, arcuatae, crassae, utrinque bilobae, eodem glutine oblinitae, ac de pallio dictum est, lateritium colorem praeseferunt. In statu naturali cuncti lobi simul stipati, suique basi cohaerentes verticaliter eriguntur. Nos autem in Fig. 1 Tab. XXXVI lobos dexteros F a sinistris E attente distraximus, superque pallii lobos resupinavimus, quo loculorum hiatus, secus illorum bases MM, PP ordinatim digestos, perinde ac musculum adductorem GG, rectum intestinum I, partesque reliquas sub ipsis delitescentes, patefaceremus. Arterias, venasque branchiales, pectinatim branchias subeuntes, infra ostendemus. Ceterum eadem ipsis fabrica est, ac in reliquis Molluscis hujus Ordinis; de qua consulatur Caput III Part. II *Introductionis*, pag. 43, et Anatome Limnaeae Fuscae, pag. 5 Ordinis hujus. *Tabula XXXVI. Fig. 1.*

Os *a* in ima Animantis regione prope conchae apicem situm est. Ipsum paullo adauximus, atque explicavimus in Fig. 6. Sunt ei labia gemina rugoso-fimbria- *Fig. 1. Fig. 6.*

Tabula XXXVI. Fig. 1. ta, in appendices praelongas *c*, *c*, *d*, *d*, lineari-lanceolatas protensa, quae hinc glabra, inde in transversum striata. Subest ori glandula *b b* subglobosa, propeque biloba, fusca, ubi fortasse elaboratur humor salivalis, jugiter in os, atque gulam illabens.

Ventriculi, atque interaneorum compagem ex alvo divulsam, flexibus suis Fig. 3. omnino intemeratis, naturali magnitudine seorsim delineavimus in Fig. 3 Tab. XXXVI. Ibi itaque A repraesentat os labiis B, B (quae partim amputavimus) insignitum; C gulam. Succedit ei ventriculus D patulus, ac subrotundus, quem Fig. 4. amplificatum, atque dissectum intueberis in Fig. 4. Inter fibras musculares, quibus gaudet, diversimode inflexas, et quarum nonnullas in fasciculos musculares *a*, *a* simul coëuntes exhibuimus, rimae aliquot insunt *u*, *x*, *y*, *z*, valvulis communitae, per quas bilis, per ductus choledochos ab hepate manans, in ventriculum illabitur. Item altera valvula *m* pylori hiatum occludit ducentis ad intesti- Fig. 3. num V, quod idem est, ac E in Fig. 3. Hoc recta sursum pergens gradatim coarctatum, pistacii formam, atque magnitudinem accipit ad F proxime sub musculo adductore supero, ubi intestinum illud manifeste patet, quemadmodum ad *x* in Fig. 1, 3. Fig. 1. Mox angustius factum, conicamque formam adipiscens, ad G insigniter dilatatur. Illinc se se inflectens ad H, teres instar fistulae evadit, donec postremo inter superiorem cordis parietem, ejusque auriculas posteriores *c*, *c* praetergrediens, desinit in rectum R, cujus apicem musculo adductori insidentem inspexi- Fig. 1. mus ad I in Fig. 1. Apex iste sphincterem habet validissimum, quo opportune constringitur. Intestinalem autem tractum ad F, quem in longum recisum ex- Fig. 2. pressimus in Fig. 2, valvula subrotunda *y* ea lege intercludit, ut excremen- Fig. 3. titiam colluviem ultra ipsam jam provectam, in intestinum F E (Fig. 3) iterum regredi non permittat. Universam porro fistulam intestinalem, in multis hujusmodi Animantibus perlustratam, jugiter limo cinereo, pultaceam veluti consistentiam habente, oppletam comperimus.

Hepar eximiae magnitudinis cum ventriculum, tum intestinorum partem late complectitur. Textura gaudet adeo spissa, ut nulla folliculorum vestigia (quibus ceterorum Molluscorum hepar confici demonstravimus) detegere potuerimus. Color fuscus.

Ovarium de more elegantissimum cunctas alvi ambages quaquaversum subit, partesque inibi repositas praegravat. Miniaceo veluti pigmento saepissime imbuitur, hic propaginibus ramoso-pinnatis muscorum instar repens, illic vero in glomeres stipatum pro diverso maturitatis statu. Illas ad *XX*, hos autem ad *ZZ* con- Fig. 5. spicies in Fig. 5 Tab. XXXVI.

Imam oram musculi adductoris superi G G nullo interposito intervallo contingit corpus, seu viscus eximiae molis *ee*, cui intestinum *x*, summaeque ovarii propagines incumbunt. Cultro impigre rimatum, ad filamenta telae cellularis abscindenda, in duo facile secedit, cordis formam referentia, sicuti DD in Fig. 2 Tab. XXXVII. Microscopio eorum partes adaugente deteximus, constare singula spongiosa veluti substantia cellulis plurimis perforata, vasisque sanguiferis interspersa, quemadmodum ad *aa* BB in Fig. 5 ejusdem Tab. XXXVII. Cunctas hujusmodi cellulas opplet locupletissime materia veluti pulverulenta, subarida, nigricans, minutissima, quam nudis oculis perspectam sabulum litoreum esse existimares: at Microscopio explorata, talis esse adparet, ac in Fig. 6. Singula grana *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, *f*, *g*, etc., et magnitudine, et forma differre videntur; cuncta tamen verrucosa sunt, luci pervia, succinique naturam praeseferunt; itemque manifestissime ostendunt, fluidam indolem in primis obtinuisse, aliaque ex aliis simul coactis fuisse coagmentata. Chemica eorum analysis eadem est, ac partis rubrae *Pinnae*, quam Parte I *Introductionis*, Cap. VI, pag. 21, satis superque tradidimus. Visceris naturam, ac munus, tum Cap. IV Partis I ejusdem *Introductionis*, pag. 18, tum in Anatome Callistae Coccineae [1], et Axinaeae Polydermatis [2], quorum viscera testacea similibus concretionibus gaudent, fuse explicavimus.

Tabula XXXVII *Fig. 2.* *Fig. 5.* *Fig. 6.*

Summo ferme recto intestino insidet, cohaeretque Chimaerae hujus trachea, quam haud raro e postica pallii regione, ubi ambos pallii lobos simul concrescere animadvertimus, longe protensam comperimus, quemadmodum ad S in Fig. 1. Tab. XXXVII. Est ei forma subconica compressa, undique verrucosa, anguis instar, quem aliquatenus refert, sinuata; tegumentum tenue, propeque luci pervium; color albus, vel flavescens; natura musculosa; quippe interdum ad dimidii ferme pedis longitudinem producitur, nonnumquam vero ultra modum corripitur. Intrinsecus cellulis plurimis inaequalibus, tumescentibus, septis membranaceis altera ab altera discriminatis, interrupta. Postremo basi sua adnascitur infundibulo veluti musculoso T, valido, compresso, transversim rugoso, maximeque contractili, quod integrum, et cum recto intestino conjunctum, seorsim conspicies ad X in Fig. 7 Tab. XXXVI. Quo ducat hujusmodi trachea, opportunius infra exponemus.

Fig. 1. *Tabula XXXVI.* *Fig. 7*

E media prope alvi regione, e vagina veluti musculosa V erumpit byssinum capillitium K. Componitur ipsum ex ingenti numero villorum tenuissimorum, ex eadem veluti radice fasciculatim emergentium, qui cum mollitie, tum nitore

Fig. 1.

---

(1) Pag. 87 hujus Ordinis. (2) Pag. 140.

filis sericis adsimilantur: color eis est aureo-fuscus. Singuli villi in apices desinunt calyculatos, quorum ope stirpibus marinis, quae in proximo sunt, firmissime adglutinantur. Organicam illorum structuram, qualis est in capillis, pilisve humanis, perspicue Microscopium ostendit; fasciculumque exiguum illo perlustratum ad vivum delineavimus in Fig. 2 Tab. XXXIV. Quo autem clare intelligatur, quanam ratione in Animantis corpore infixi sint, musculorum compagem, atque naturam paucis praemittere oportet.

Tabula XXXIV. Fig. 2.

Tabula XXXVI. Fig. 1. Itaque praeter musculos valvarum adductores GG, HH, jam supra memoratos, bini alii insunt musculi praecipui, torosi, validissimi, conici, juxta abdominis latera, perque ligulae longitudinem decurrentes; quique cunctarum Animantis partium sunt veluti fulcimentum; cunctae siquidem circa ipsos late revinciuntur. Musculi *recti abdominales* haud injuria dici possent. Summa istorum capita ambis valvis strenue adglutinantur sub musculo adductore Z. Alterum dumtaxat in situ naturali penitus inviolatum ad X in Fig. 1 Tabula XXXVII conspicere juvabit: quod isti opponitur, in altero Animantis latere positum esse concipito. At ad eorum fabricam, atque nexum probe intelligendos, universum musculorum hujusmodi complexum in Fig. 2 ejusdem Tabulae depictum exhibuimus. A exprimit musculum adductorem superum, fasciculis musculosis transversis coagmentatum, tegumentoque B tendineo amictum. C, C sunt musculi recti, quorum capita sub viscere testaceo DD, adductoreque supero A delitescunt. Eorum tegumenta partim detracta, ad S, S reclinata respicies. Singuli hi musculi ex trium lacertorum *n*, *m*, *y* coagmentatione compinguntur; quibus cultro facile disjunctis, quemadmodum Figura ostendit, protinus in conspectum veniunt, in singulis, bini musculi plani *f*, *f*; *f*, *f* coloris flavescentis, marginibusque crenulatis, quorum formam perspicuiorem cernes juxta easdem litteras in Fig. 3. Musculos istos lacertis musculosis *n*, *m*, *y* arcte ad invicem adpressis, quemadmodum sunt in statu naturali, firmissime inibi infixos detineri nemo non intelligit. Contexuntur ipsi ex radicibus innumerorum villorum, quas seriatim digestas, arcteque simul compactas Microscopium demonstrat. At musculi isti plani protinus ac e musculis rectis emergunt, funiculi speciem *z* in primis constituunt; mox in villos nuper commemoratos dissolvuntur, ex quibus byssinum capillitium *g h* confici declaravimus.

Tabula XXXVII. Fig. 1. — Fig. 2. — Fig. 3. — Fig. 2. — Fig. 3.

Ex quibus aperte liquet, villos hosce radicitus in musculis rectis abdominalibus infixos, nullo pacto per ligulam confici posse, quemadmodum existimavit Reaumurius [1], ceterique post ipsum Ostracologi; ac proinde ingeniosissima ex-

(1) *Mémoir. de l'Acad. des Scienc.* An. 1711.

perimenta super Mytilorum capillamento ab ipso instituta (cujus natura, atque nexus cum capillamento Chimaerae, de qua agimus, maxime conveniunt) nihil aliud demonstrare, nisi glutinis, atque ligulae aptitudinem ad villos hujusmodi pro re nata restaurandos, sicuti in Historia Mytili Edulis satis superque disputavimus.

Ligula P Q, praeter musculosos fasciculos a musculis praedictis C, C ad apicem usque protensos, quique *ligulae retractores* dici possent, musculis plurimis pectinatis gaudet *rr*, aliisque similibus in tota sui longitudine, quibus et angustari, et dilatari potest prout Animanti lubido est. *Tabula XXXVII Fig. 2.*

Ceteri musculi funiculares R, R, F G, F E, etc., qui ab iisdem musculis C, C derivantur, ad musculum adductorem inferum, ad byssini capillamenti musculum vaginalem V in Fig. 1, ad ligulae radicem, aliasque Mollusci partes pergere conspiciuntur. *Fig. 2.* *Fig. 1.*

Hisce omnibus investigatis, ut Chimaerae hujus fabrica penitius introspiciatur, ad thoracis perquisitionem transeamus. Est illi sedes in dorso Animantis proxime sub musculo adductore supero Z (Fig. 1). Quare Mollusco prono, pericardium in longitudinem discindere oportet ad thoracis cavitatem detegendam. *Fig. 1.*

Consistit inibi cor A musculosum, pyriforme, uniloculare, gemino auricularum pari insignitum; quae auriculae fibris pluribus muscularibus, multimode simul coëuntibus intexuntur. Harum auricularum alterum par, *posticum*, seu *dorsale* (quippe a cordis dorso veluti emergere videtur), alterum vero *laterale* jure dici posset. Auriculae posticae *c*, *c* reliquis minores sunt, coëuntque statim in truncum arteriosum B, super dorsum Mollusci excurrentem, simplicique pallii velabro superindutum, quod tamquam pleura, ac peritonaeum, universa Animantis viscera, quae tum alvo, tum thorace continentur, obducit. Truncus mox memoratus B, qui *Aortae descendentis* adpellationem jure meretur, prout a corde recedit sensim attenuatus, in ramos varios, surculosque minores elegantissimos utrinque dispertitur, quorum 2, 3, 4, 5, ad hepar, ovarium, intestina, aliasque partes in abdomine locatas disperguntur, iisque prospiciunt. Postmodum, ubi deorsum pervenit e regione oris, in geminos alios ramos 6, 7, secedit, qui utrinque anteriora versus vergentes, sursum pergunt juxta abdominis tractum, byssinaeque barbae radicem, in plurimos surculos exilissimos divisi. Horum alii in viscera abdominalia, alii vero in musculos, atque tegumenta, quae radicem praedictam barbae circumambiunt, alte inseruntur. Quod trunci reliquum est C, tendit recta ad musculum adductorem inferum D D, inter binos tendines filiformes *xi*, *xi*, jam supra descriptos; surculosque perhibet 8 glandulae subglobosae *Tabula XXXIX.*

Tabula XXXVI. Fig. 1. sub ore locatae, quam inter *b*, et *b* inspicies in Fig. 1 Tab. XXXVI, praeter alios quoque, qui ab ipsa paullo infra prodire conspiciuntur.

Tabula XXXIX. *Aorta ascendens* G recta in primis sursum pergit; at deinceps pone musculum adductorem superum deorsum recurvata, in ternos truncos majores *a*, *b*, H dispertitur; quorum alter H oblique sursum progrediens juxta latus laevum recti intestini (cui universa arteria ascendens adhuc descripta subjacet), medium petit utriusque pallii lobi, ac inter ipsius *duplicaturam* decurrit, donec provectus ad F, binos efficit truncos F M, F M, hinc inde utrumque pallii limbum KK, L L circumundique legentes. Inibi surculi plurimi sensim exiliores *m*, *m*, *m*, *m* etc., *n*, *n*, *n*, *n*, etc. ab eorum singulis in ambitu proferuntur, qui in minimas, innumerasque propagines subdivisi, creberrimisque suis anastomosibus coalescentes, ac omnimode intexti, rete elegantissimum efficiunt, universum pallii limbum, Tabula XXXVIII. quâ late patet, obvelans [1]. Ab utraque porro regione trunci ascendentis HF, seu R R in Figura Tabulae XXXVIII, surculus exiguus *v* hinc inde emergit, in geminos alios tenuiores subdivisus; quorum singuli super sibi respondentem pallii lobum late perreptant. Alterum dumtaxat hujusmodi surculorum hydrargyro repletum expressimus in hac Figura, qui illico in duos subdividitur *y*, *z*; quorum ille in propagines plures sensim attenuatas secedens, super velabri faciem nullo ordine distribuitur: *z* vero sursum pergit secus magnum canalem venosum NO infra declarandum; cujus exilissimas plicas singillatim adiens, serpentinum cursum sequitur *z z*. Mox dextrorsum surculos emittens *ω*, *ω* etc., atque e singulis alios gradatim tenuiores, secus singulos ramos venosos *Nq*, etc. mirifico prorsus artificio provehitur.

Tabula XXXIX. Geminos truncos majores arteriae aortae ascendentis, qui supersunt, nunc declarare adgrediemur. Illos itaque in Figura Tab. XXXIX cernere juvat. Laevus *b*, sive superior, dichotomus factus ad *e*, inque musculum adductorem superum alte se infigens, cisternam lacteam petit, de qua infra dicemus. Surculus *e l* ab ipsa emergens, sursum reflectitur super faciem adversam ejusdem musculi Tabula XXXVIII. adductoris, ubi sub cisternam lacteam procedens, propaginibus suis plurimis, atque exilissimis, quas ad *ε ε* conspicies, si lubet, in Figura Tab. XXXVIII, mu- Tabula XXXIX. sculum illum obducit, partesque circumstantes adit. Truncus dexter, sive inferior *a*, ad anticam Animantis regionem reflexus simul cum surculo *l*, de quo hactenus dictum est, aeque ac ille super faciem anteriorem musculi adductoris pro-

(1) Eumdem prorsus esse vasorum istiusmodi progressum in pallio cunctorum Molluscorum subsilientium pro comperto statuimus.

pagines plurimas distribuit, indeque ulterius pergit. Praeterea surculos aliquot perhibet, qui anastomosibus primum simul conjuncti, influunt demum hinc inde in utramque arteriam branchialem.

His perlustratis, arduum utique opus extricandum suscipimus, arteriarum scilicet, quas *tracheales* jure dici posse autumamus, originem, ac progressus declarare. Ad hoc enucleate praestandum oportet animadvertere, hydrargyrum *Tabula XXXVI. Fig. 3.* largiter injectum in tracheam N, protinus influere in truncum amplum arteriosum I, e quo tamen in tracheam nequicquam illabitur quamvis strenue urgeatur, idque ob valvulae efficaciam, quae in illius basi sita est. Truncus iste I instar ingentis alvei in plures ramos mirifice subdivisos illico disperditur. Bini inferiores in primis $x\,T$, $o\,Q$, qui in longo sui tractu comiter procedunt, secus latera musculi adductoris superi hinc inde descendentes, multos surculos partibus circumstantibus tribuunt, quos infra enarrabimus. Ramos istos $x\,T$, $o\,Q$ integros *Tabula XXXIX.* praestat inspicere in Figura Tab. XXXIX secus O O Q, P P V, qui ut primum limbum inferiorem attingunt musculi adductoris superi, versus anticam ejus faciem inflectuntur, sursumque pergunt ad branchias, ubi secus earum axim decurrentes, in ramos innumeros pectinatos secedunt ad modum ceterorum Molluscorum [1], sicuti in Figura Tab. XXXVIII secus X Y exhibuimus [2]. *Tabula XXXVIII* Insuper deorsum protensi ramis suis pectinatis O Δ, P Δ, imis branchiis, labiisque prospiciunt. *Tabula XXXIX.* Horum progressus ex descriptione venae comitis fuse intelligetur. Priusquam vero branchias adeant, ramos insignes tribuunt, tum musculo adductori, veluti *Tabula XXXVIII* sunt 1, 1, 1, etc. (Tab. XXXVIII); tum infernae Animantis regioni, prout sunt 3, 3, etc.

Nunc Figuram Tab. XXXVI iterum ob oculos ponere oportet, ut arteriarum *Tabula XXXVI. Fig. 3.* branchialium, de quibus agimus, absolutam notionem consequamur. Trunci itaque branchiales $x\,T$, $o\,Q$ antequam inflectantur super inferam oram musculi adductoris, amplum sinum y, y utrinque efficiunt, e quorum exteriori regione plures surculi prodeunt h, h, etc., ad viscus testaceum procedentes. Surculi f pergunt ad idem viscus, et ad lateralem regionem musculi adductoris. Proximi v, v reticulatim simul intexti, crebrisque anastomosibus conjuncti, eidem musculo adductori prospiciunt. Rami i, et s influunt proxime in arterias aortas descendentes $b\,e$, $a\,L$. Surculus u propagines tenues tribuit tum recto intestino R X,

---

(1) *Introduct.* Part. II, Cap. III, pag. 43.

(2) Ramos istos omisimus in Fig. 1 Tab. XXXIX, ne confunderentur cum paribus ramis venae comitis, de qua infra dicemus.

tum partibus ipsi circumstantibus. Ramus denique *z* sursum in primis pergens, propagines multas hinc inde frequentibus anastomosibus inter se mutuo cöeuntes, musculo adductori proximisque partibus largitur; mox dextrorsum conversus, truncosque subjectos scandens, recto intestino, ejusque viciniae surculos impertit.

Tabula XXXVI. Fig. 3. Ex eodem alveo arterioso patulo I, e quo arterias hactenus descriptas oriri demonstravimus, alios quoque ramos prodire deteximus. Ramus *n* in primis sursum pergit ad pallium; secusque binos illius musculos parallelos viam petens, surculos plurimos *mp*, *mp* hinc inde dispertitur. Truncus medius amplus S bifariam primum dividitur, rectique intestini cursum sequens usque ad anum R, propagines numerosissimas SP, *St*, *St* etc., frequentibus anastomosibus multifariam ad invicem consociatas, reteque venustissimum efficientes, intestino ipsi, partibusque circumstantibus distribuit: quae propagines porro ulterius provehentes ad V, Y, K, O, etc., super faciem anticam musculi adductoris superi reflectuntur similiter reticulatae, ibique proxime influunt in oscula exilissima aliorum surculorum, qui et ab arteriis branchialibus, et ab aorta descendenti oriuntur, aeque ac in propagines vasorum lactiferorum. Equidem hydrargyrum in illas injectum, in surculos hosce permanare conspicitur. Idem denique de ramis M, *rgg*, qui supersunt, intelligito.

